1905

NIÈSSEN

QUAESTIONES IUVENALIANAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LAURENTIUS NIESSEN

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXIX.

MATRI CARISSIMAE
PIAEQUE PATRIS OPTIMI MEMORIAE
SACRUM.

Ad investigandos primi post Chr. n. saeculi mores Romanorum ingentem nobis suppeditat materiam Iuvenalis. Nam nullam fere rem, sive privatas spectas, sive publicas, non tangit, quamquam malitiose plerumque et venenatis verbis. Neque strictim adumbravisse lineamenta satis habet; sed, ut est subtilis hominum iudex, accuratam vitiorum, nequitiarum, scelerum, rarius virtutum imaginem depingit. Per divitum aedes circumducimur legentes et famelicorum tabernas; mox in rauco circo versamur, mox in templis lascivia temeratis; feminas inter pectinem speculumque occupatas visitamus et nobiles in deverticulo calido temulentos; nihil denique, quidquid tum in se admittebat perditissimus quisque, celamur. Et pinguissimis coloribus uti poetam, quicunque saturas eius vel cursim perlegerit, facile videbit. Itaque ex omnibus partibus iustam illius temporis effigiem ex Iuvenale exprimere non possumus; neque mirum, quod temere ei habere fidem viri in antiquitatibus Romanorum versantes dubitant: neglegi propter ubertatem materiae nequit, auctor tamen plerisque videtur esse parum idoneus.[1] De magno igitur flumine sumpturi, ne limo turbatam hauriamus aquam, metuimus. Quare haud supervacaneum esse opinor industrie et diligenter instituere de Iuvenalis fide et auctoritate quaestionem. Quam hoc libello ad certum finem me perducturum esse non spero — ‚unde ingenium par materiae?' —

[1] Buecheler quidem (‚Philologische Kritik', Rectoratsrede, Bonn 1878, pag. 26.) dicit haec: ‚Iuvenal ist eben überall Declamator, der die grellsten Züge aus Spässen der Epigrammatiker, Strafpredigten der Moralisten, aus Büchern und Schulweisheit wählt, nicht frisch aus dem Leben greift, dem der Zorn, der seinen Vers schuf, nicht aus dem Herzen quillt, sondern im Hirn sich braut, der mit den Jahren, je mehr er den Vorrath anekdotenhafter Geschichtchen und carikierter Sittenbilder aufbraucht, seiner rhetorischen Natur in eifriger Redseligkeit desto freieren Lauf lässt.'

pro iuvenili tamen parte operam navavisse atque fortasse aliquid ad accuratiorem poetae cognitionem contulisse iuvabit.

Atque in hac quaestione Iuvenalis opera sic mihi vindico, ut tradita sunt. Non ita sane, ut emendationes a viris doctis propositas causisque satis probabilibus firmatas asperner aut versus, quos spurios esse manifestum est, servem; sed in universum a forma solita non discedam. Interpolationes praecipue sine gravissimis argumentis non statuere in animo est. Nam praeterquam quod haud multum superesset, si omnes locos a singulis in suspicionem vocatos mitterem,[1] in tali, qualem ego instituo, quaestione anceps et lubricum est alia servare, alia pro subditiciis removere. Facillime enim fit, ut eis, quibus confirmari videtur opinio praeiudicata, indulgeamus, ea, quae minus quadrant, acri censura vexemus. Sic iudicium extorquetur potius quam invenitur.

Attamen materiam artioribus terminis circumscriptam velim. Extremae enim saturae, omnium circiter tertia pars, a ceteris valde differunt. Quas ideo non esse Iuvenalianas, quoniam provectiore aetate ingenium poetae quasi quodammodo hebetatum esse cogitari licet, non contenderim. Alia enim viri fervidi, alia senis garruli et morosi est natura. Duabus autem de causis extremas illas saturas praecludo. Primum enim ex eis nihil fere, neque de personis neque de rebus, docemur; tum, quae gravior est causa, nisi eas secernerem, universum de poeta iudicium, quia utraque pars suam flagitat aestimationem, perturbaretur. Personas habemus in extrema saturarum parte poetae fere aequales praeter eas, quae ex prioribus repetuntur, Rutilium Gallicum XIII. 157. et Vagellium XIII. 119., XVI. 23. novas atque, quamquam obiter, notas; de reliquis nihil memoriae traditum est. Nominantur enim Pholus XII. 45., Gallitta XII. 99., Paccius ib., Novius XII. 111, Faesidius XIII. 32., Philippus XIII. 125., Rutilus XIV. 18., Larga XIV. 25., Cretonius XIV. 86., Laelius XIV. 195. Nec vero, qui fuerint, multum interest. De rebus porro illius temporis et institutis et moribus paene nihil discimus; eo uberius res olim gestae et fabulae tractantur. Ex satura XIV. afferantur haec: Catilina 41.,

[1] Unus O. Ribbeckius (Der echte und der unechte Iuvenal) saturas X. XII. XIII. XIV. XV. XVI. et ceterarum multas partes ab Iuvenale abiudicavit.

Brutus 43., Cato ib., Moses 102., Titus Tatius 160., bella Punica 161., Pyrrhus 162., Decii 239., Mithridates 252., Alexander 311.; ex satura XV.: Ulixes 14., Alcinous 15., Laestrygones 18., Circe 20., Elpenor ib., Telamon 65., Aiax ib., Diomedes 66., Aeneas ib., Prometheus 85., Iphigenia 116. Accedunt permulta philosophi potius quam saturarum scriptoris more relata. Sed non solum propter rerum personarumque memorabilium inopiam parvi momenti de extremis saturis quaestio est, verum etiam, ut iam dixi, impedimento. Nam poetam nimis exaggerare nescio an his saturis commoti plerique contenderint. Immodice dicta sunt, ut pauca afferam, XIII. 84. sq., XV. 12. sq., verbosae veritatis superlationes et traiectiones inveniuntur XII. 48. sq., 95. sq., XIII. 60. sq., 130. sq., XIV. 18. sq. etc. In priore quoque saturarum parte modum saepius excedi non nego, sed interest inter gravia verba, quae fulguribus haud dissimilia per iracundiam erumpunt, et inter exaggerationes cum otio et quasi labore copiose deductas. Itaque, quae de Iuvenalis ingenio dicturus sum, praecipue ad priores circiter decem — certum constituere terminum non licet — saturas pertinent. In his igitur quae sit poetae fides et auctoritas, investigare mihi proposui. Certe non sum is, qui contra vulgatum iudicium commendare studeam sententiam novitate magis quam veritate arridentem; attamen cum diligentius in saturis Iuvenalis versarer, magis magisque mihi persuasi eum paulo verius et accuratius res narrare, quam vulgo creditur.

Quaeritur ante omnia, utrum facinora omnino nunquam commissa referat Iuvenalis necne. Quae ut fingeret poeta, fieri potuisse nobis statuendum est aut quod voluptate quadam versaretur in flagitiis describendis aut quod risus movere vellet aut quod gravi, qua gaudet, dictioni quaereret pondera.

Primum igitur, quo iure Iuvenalem delectari narrandis rebus inhonestis nonnulli dicant,[1] diiudicemus. Ipsum fuisse moribus

[1] Cfr. W. Teuffelii libri, qui inscribitur ‚Studien und Charakteristiken' pag. 423.: ‚Er macht (sc. im Gegensatze zu Tacitus) den Eindruck, als ob es ihm ganz behaglich wäre in dieser Atmosphäre.' Similiter G. Bernhardius iudicat (Grundriss der röm. Lit.-Gesch. 4. Aufl., pag. 609.): ‚Das wüste Treiben

parum integris, ita ut libidines lascivas depingat commenticias, vix quisquam contendere audeat. Mores eius quales fuerint, ex scriptis eius solis cognosci licet. Nam ex aequalibus unus Martialis, quocum familiaritatem iunxit, eum commemorat. Atque libri VII. epigrr. 24. et 91. huc omnino non spectant; sed ne ex libri XII. epigr. 18.[1] quidem de moribus Iuvenalis quidquam concludendum est. Nam praeterquam quod in vili et abiecto sermone, quem Martialis non minus quam Iuvenalis saepe ex industria usurpat, ‚Subura' ponitur pro aliqua regione Romae, in hoc epigrammate non taedia deverticulorum, sed munia clientium significantur. Quamquam igitur certum iudicium non invenitur, cum scriptorum mores saepe minime congruant cum eis, quae scripserunt, tamen, si quis scripta Iuvenalis secutus eisque usus norma mores eius fuisse bonos affirmet, non habeo, quod contra dicam. Multa enim exstant in saturis eius praeclare dicta, quae simulata esse cur putemus, non est. An credis sententias, quales leguntur III. 54. sq., 312. sq., VIII. 20., 24. sq., X. 302., 356. sq. et quales per totam saturam XIV. sparsae sunt, ex animo ortas esse nequam?

At verbis utitur obscoenis. Concedo, sed cum ex eo ipso, quo nascitur, tempore omnem sucum et colorem ducat satura, in nullo poesis genere diiudicando magis quam in satura ratio habenda est saeculi, quo poeta vixit. Atqui Neronis et Domitiani aetate vitia in praecipiti stabant; hominum animi diuturnitate flagitiorum callum iam duxerant, ingeniaque obtusa erant luxuria et libidine. Itaque Iuvenalis ad vivum resecat omnia. Accedit

---

der Gegenwart . . . . samt ihrem endlosen Jammer und Schmutz wird hier in einer berechneten Folge gruppiert, in Ordnung und Zusammenhang anschaulich entwickelt, sogar mit gründlichem, fast antiquarischem Behagen bis zum Überfluss der Schilderung berichtet und auf die Spitze getrieben.'

[1] ‚Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Iuvenalis, in Subura
Aut collem dominae teris Dianae,
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat vagumque
Maior Caelius et minor fatigant,
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea rusticumque fecit
Auro Bilbilis et superba ferro.'

quod veteres minus erubescebant dictis obscoenis. Quodsi Catullo, Ovidio, Martiali reliquisque poetis ea venia datur, ut lascive interdum ludant et parum pudice loquantur, quanto magis ignoscendum est saturarum scriptoribus, si quando turpes res turpibus tractant verbis. Ne Horatius quidem, cuius probitas, modo ne christiana lege iudicium faciamus, extra omnem dubitationem posita est, abstinet verbis, quae a Iuvenalis dictione haud valde abhorrent.[1] Ceterum Iuvenalis ex industria taeterrima illa libidinum genera verbis persequitur obscoenis, quo efficacius homines sceleratos notet, legentes a scelere absterreat. Unde fit, ut dicta eius minime libidinem excitent, immo nauseam moveant. Quare Iuvenalis ratio, qui scelera, ut sunt, detegit, non tam pestifera est, quam quorundam poetarum deliciae et elegantiae, quibus res turpes liberali et ingenua facie induant. Eos autem locos si respicis, ubi iocosis verbis quasi ludens tangit res maxime nefandas,[2] cave ex his conicias eum fuisse levem moribus, immo in mentem revoces quod dicit Horatius, saturae praeceptor aeque bonus ac scriptor[3]:

‚Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.'

Nec vero statuendum est eum sceleribus aliorum quasi gaudentem ideo finxisse res, quo peiores depingat homines.[4] Nam etiamsi concedo nihil, ne exiguas quidem fatuitates, ab eo praetermitti, tamen, si admirationem eius spectamus pristinae simplicitatis,[5]

---

[1] Cfr. Hor. sat. II. 7. 49. — Iuv. VI. 126.

[2] Cfr. I. 55.—57., II. 11.—13., 60., III. 112., IV. 34.—37., 192.—199., 312.—313., 377.—378., tota sat. IX.

[3] Cfr. Hor. sat. I. 10. 11. sq.

[4] Cfr. Teuffelius, l. c. pag. 417.: ‚Die dunkelsten Partieen sucht er sich mit Vorliebe auf und führt sie bis ins Einzelste hinein mit solcher Gründlichkeit aus, dass es ist, als freute er sich darüber, weil die Menschen recht schlecht sind . . . .'

[5] Cfr. I. 94, 95., II. 72. sq., III. 168. sq., 312.—314., VI. 1. sq, 265, 266, 287. sq., 335, 336, VII. 207., VIII. 98. sq., X. 298, XI. 77. sq., 117. sq., XIV. 160. sq.

gratissimum ei futurum fuisse putandum est, si aetas vitia describenda omnino non suppeditasset.[1]

Quodsi his, quas attuli, causis minus tribuis ponderis neque Iuvenalem lasciviae causa flagitia non finxisse tibi persuasisti, age consideremus locos, quibus afferantur res omnem fidem egredientes. Ubi si narrari vera comprobaverimus, de ceteris rebus, quippe minus gravibus, dubitari non iam licebit.

Sat. II. v. 117. sq.

'Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverit aere:
Signatae tabulae; dictum 'Feliciter!' ingens
Cena sedet; gremio iacuit nova nupta mariti.'

Talia matrimonia nefanda identidem variis rationibus Nero quidem iniit;[2] alii hoc fecisse non traduntur. Neque vero ex hac re concludendum esse puto haec ab aliis facta non esse; immo principis exemplum quin deperditissimus quisque ex nobilibus secutus sit, non habeo, cur dubitem. Et inter mares venus haud rara[3] fuit illis temporibus. Accedit altera causa, quod hoc loco de re vera agi arbitrer. Gracchus esse nequit persona ficta. Nam duobus locis (II. 143. sq. et VIII. 200. sq.) longo spatio disiunctis de eodem scelere sermo est, retiarium eum in arenam prodiisse. Luce igitur clarius est de homine agi certo et omnibus noto. Hoc autem concesso de nuptiis eius dubitari non iam potest. Nam homini noto scelus imputare, quod non factum esse unusquique sciebat, absurdum fuit.

---

[1] Recte refutavit Ribbeckius l. c. pag. 3. sententiam O. Muelleri, qui (Geschichte der griech. Lit. bis zur Zeit Alexanders des Grossen, Tom. I. pag. 230): 'Den Gemälden, inquit, Iuvenals fehlt der Hintergrund einer schönen und erhebenden Vorstellung von Rom, wie es sein sollte oder wie es in früheren Zeiten gewesen.'

[2] Sporum uxorem duxit 'cum dote et flammeo per solemnia nuptiarum celeberrimo officio deductam'. (Cfr. Suet. vit. Ner. 28.) Doryphoro, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit. (Cfr. ib. 29.) Pythagorae nupsit. 'Inditum imperatori flammeum, missi auspices; dos et genialis torus et faces nuptiales....' (Cfr. Tac. ann. XV. 37.) Ipse et viri et feminae partes egit. (Cfr. D. Cass. 63. 13.)

[3] Hoc patet ex lege Scantinia de nefanda venere.

Quoniam de Graccho agimus, hoc loco pauca dicere velim de alio eiusdem hominis scelere, quamquam ad lasciviam et libidinem non pertinet.

Sat. VIII. 203. sq.

‚Nec galea faciem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nequiquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit et tota fugit agnoscendus arena.
Credamus, tunicae de faucibus aurea cum se
Porrigat et longo iactetur spira galero.’

De hoc Gracchi facinore supra iam dixi, cum poeta duobus locis admodum disiunctis de eodem illius hominis scelere agat, quin de certo aliquo facto sermo sit, dubitandum non esse. Atque quod Gracchus, vir summo loco natus, in arenam prodiit gladiator, mirandum non est. Etenim iam sub Iulio Caesare nobiles in munere pugnare inauditum non erat.[1] Anno post Chr. n. 11. equitibus Romanis gladiatura ex professo concessa est.[2] Quae petulantia a Tiberio aliquamdiu repressa Nerone imperante mirum quantum gliscebat.[3] Neque coacti solum et invitati ab imperatore ad ferrum transierunt, sed ultro quoque. Nam saltante ipso principe nobilissimus quisque nulla alia re nisi animi levitate et intemperantia in arenam pellebatur. Quare, quoniam de Neronis tempore hoc loco poeta agit,[4] Gracchus gladiator nihil habet offensionis. Sed peculiaris quaedam atque incredibilis prorsus impudentia ex editorum quidem sententia notatur. Nam excepto uno Mayore omnes[5] in eo consentiunt, quod Grachum habitu Saliari vestitum pugnavisse dicunt. Hoc et prorsus incredibile est et errant in interpretandis vocibus ‚galeri’ et ‚spirae’.[6]

[1] Cfr. Suet. vit. Div. Iul. 39. ‚Murere in foro depugnavit Furius Leptinus stirpe praetoria et Qu. Calpenus, senator quondam actorque causarum.’

[2] Cfr. D. Cass. 56. 25. ‚Καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη.’

[3] Cfr. Suet. vit. Ner. 12., Tac. ann. XIV. 14., XV. 32., D. Cass. 61. 17.

[4] Cfr. v. 198.

[5] Weidner in altera editione, quae nuperrime in lucem edita, postquam hanc commentationem iam conscripsi, in manus meas venit, errorem correxit.

[6] Cfr. quae leguntur in Friedlaenderi Darstell. Tom. II. sub titulo: Kostüm und Bewaffnung der Gladiatoren.’

Sat. VI. 115. sq.

‚Claudius audi
Quae tulerit. Dormire virum cum senserat uxor,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos
Ausa etc.'

Poeta mulierum libidines describens exemplo utitur satis gravi. Sermo est de Messalina, Claudii Caesaris uxore. Hoc enim apparet ex v. 115, 116. et v. 124.

‚Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.'

Atque Iuvenalis summa cum subtilitate et singularum rerum descriptione narrat feminam illam nocte in lupanar iisse ibique pro meretrice fuisse. Sane res indignissima et fide maior. Sed non est, cur negemus hoc revera factum esse, si quidem, quae ab aliis rerum scriptoribus tradita sunt, animo recensemus.

Feminas illius temporis plurimas fuisse admodum lascivas constat. Nec deerant, quae, quamquam summo loco natae, tamen usque eo impudicitiae progrederentur, ut meretricum ritu palam se gererent.[1] Atqui Messalina femina post hominum memoriam libidinosissima fuit. Adulteria eius nobis tradita enumerare longum est.[2] Sed exstant testimonia ad hanc ipsam rem, quam narrat Iuvenalis, spectantia. Atque Plinius[3] eam certamen libidinis iniisse cum scorto refert exemplum eam proponens insatietatis. Porro in ipso palatio instituit lupanar, in quo ipsa prostabat. Quod

[1] Cfr. Tac. ann. II. 85. ‚Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coercita, cautumque, ne quaestum corpore faceret, cui aut avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset. Nam Vistilia, praetoria familia genita, licentiam stupri apud aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant.' Non unam Vistiliam hoc in se admisisse testatur Suetonius; cfr. vit. Tib. 35. ‚Feminae famosae, ut ad evitandas legum poenas iure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri coeperant.'

[2] Cfr. Tac. ann. XI. 12.—37., D. Cass. 60. 14. Silanum, matris maritum, quem corrumpere frustra conata erat, interfecit; ib. 18. ‚*Μεσσαλῖνα δὲ ἐν τούτῳ αὐτή τε ἠσέλγαινε καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ἀκολασταίνειν ὁμοίως ἠνάγκαζε, καὶ πολλάς γε καὶ ἐν αὐτῷ τῷ παλατίῳ, τῶν ἀνδρῶν παρόντων, μοιχεύεσθαι ἐποίει.*' Cfr. ib. 22., 27., 28, 31. et Plin. nat. hist. 29. 4.

[3] Cfr. Plin. nat. hist. 10. 83.

tradit Dio Cassius[1] haud obscure significans eam ceteroquin quoque pro meretrice fuisse. Ad hanc rem sine dubio etiam pertinet, quod scribit Tacitus ann. XI. 26.[2] Itaque dubium non est, quin facinus a Iuvenale relatum fictum non sit. Sane singulas res poeta ex opinione et ingenio describit et expingit. Sed quamquam hac in re utitur subtilitate foeda, tamen nihil aliud est, quam quod fere fiebat iu lupanaribus. Versus 126. in Pithoeano et codicum reliquorum parte deest, et qui servaverunt, varie collocant. Itaque a nonnullis viris doctis damnatus est. Utcunque res se habet, utrum Iuvenalis versum scripserit necne, nihil refert ad hanc quaestionem. Nihil enim eo versu legitur, quod non ex ceteris versibus colligi possit.

Itaque statuendum videtur esse Iuvenalem hoc loco rem narrare, cui fides abroganda non sit. Sed ex opinione singulas res subtilissime et gravissimis verbis coloribusque pinguissimis depingit.

Ad haec si addimus vera esse, quae II. 29. sq. de Domitiano, IV. 9. sq. de Crispino, X. 329. sq. de Messalina afferuntur, in quas res infra[3] ad diiudicandam Iuvenalis rationem narrandi accuratius inquiremus, non iam licet fidem abrogare eis, quae uxori Lentuli VI. 80., Eppiae VI. 82., Hamillo X. 224. aliisque alibi a poeta imputantur.

Itaque Iuvenalis, quoniam et ipse fuit bonis moribus et verba obscoena honestis edidit de causis gravissimaque libidinum exempla narravit vera, mea quidem sententia non excogitavit flagitia lasciviae causa.

Porro Iuvenalem esse captatorem rerum risus moventium, qua re fieri, ut festivitati et ioco indulgens neglegat veritatem, non credendum est. Ioci enim plerumque amari sunt et magis quia saturae natura postulat, quam quod poeta festivo fuerit in-

---

[1] Cfr. D. Cats. 60. 18. et 31. ‚*ἡ Μεσσαλῖνα δὲ ὥσπερ οὐκ ἐξαρκοῦν οἱ ὅτι καὶ ἐμοιχεύετο καὶ ἐπορνεύετο, τά τε γὰρ ἄλλα αἰσχρῶς ἔπραττε καὶ ἐπ' οἰκήματος ἔστιν ὅτε ἐν τῷ παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθίζετο καὶ τὰς ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν.*'

[2] ‚Iam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa ad incognitas libidines profluebat.'

[3] Cfr. huius commentationis pag. 29. sq., 15. sq., 36. sq.

genio, editi. Longe praevalet austeritas, ita ut Scaliger Iuvenalis saturas appellaverit, ‚tragicas'. Et hercle cum Horatio et natura hilari et tempora videnti laeta ridere licuerit, Iuvenalis mens, ut erat severus et positus inter medias tyrannorum libidines, civium servitutem, omnium flagitia, angebatur dolore, qui exardescebat ad indignationem et iram. Itaque ioci causa res turpes minime fingere opus erat, quia materia ingens ultro suppeditabatur.

Attamen Iuvenalis festivitatem, quaecunque est, haud parvi momenti esse existimo ad multos locos recte percipiendos. Nam quod in universum de Iuvenalis saturis interpretandis dixit Madvigius,[1] saepe poetae imputari sententias, quas omnino non voluerit verbis inesse, hoc praecipue pertinet ad eius facetias.[2] De qua re fusius agere non in animo est, tamen pauca afferre liceat de genere Iuvenalianae festivitatis adhuc parum respecto: de parodia et travestia, quae dicuntur.[3] Neque enim ita iocatur interdum, ut describat res per se ridiculas aut comicorum more occasiones vel implicationes excogitet lepidas,[4] sed ut sectetur verba gravia in rebus vilissimis, vilia in gravissimis. Non solum Homeri, Vergilii, ceterorum poetarum verba aut ipsa interdum usurpat[5] aut aperte[6] vel obscure[7] significat, verum etiam de suo saepe su-

[1] Cfr. Madvigii ‚De locis aliquot Iuvenalis interpretandis disputatio' in opusc. academ., T. I. pag. 40.

[2] Cfr. quae minus urbane dicit C. Fr. Heinrichius (D. Iunii Iuvenalis saturae) ad XIII. 44.: ‚An dergleichen komischen Zügen ist Iuvenal reich, aber die wenigsten sind bisher recht gefafst worden. Der Iuvenalische Witz ist etwas Eigenes, und die Ausleger sind theils zu ernsthaft, theils zu stumpfsinnig, um sich darin zu finden.'

[3] Quae ioci genera non tractavisse E. Neissnerum (Ueber das komische Element in den Satiren des D. Iunius Iuvenalis, Progr. d. Gymn. zum hl. Kreuz, Dresden 1876) maxime miror.

[4] Exempla sicut I. 123. sq. et III. 288. sq. non sunt multa.

[5] Cfr. Iuv. I. 43. — Hom. Il. 33., Verg. A. II. 379.; Iuv. II. 99, 100. — Verg. A. III. 268. et XII. 94.; Iuv. III. 198, 199. — Verg. A. II. 311.; Iuv. III. 279, 280. — Hom. Il. XXIV. 9.; Iuv. VII. 115. — Ovid. met. XIII. 1.; Iuv. IX. 37. — Hom. Od. XVI. 294. et XIX. 13.; Iuv. IX. 102. — Verg. Ecl. II. 69.

[6] Cfr. Iuv. I. 81.—84. — Ovid. met. I. 318. sq.; Iuv. II. 31. — Hom. Il. VIII. 267.: Iuv. II. 46. — Hom. Il. XVI. 214.

[7] Cfr. III. 261, quo loco poetae forsitan ante oculos versata est mors Hectoris Andromachaque cum frustra exspectans. Cfr. Hom. Il. XXII. v. 437. sq.

blimia verba de rebus minime tali dictione dignis edit,[1] saepissime contra praecipue vulgi de deis opinionem et fabulas veterum sermone abiecto tractat. Antiquissimis scilicet temporibus Iuno ‚virguncula’ erat (XIII. 40.), Iupiter ‚nondum barbatus’ (VI. 16.); sed quamvis longo aevo neque Iupiter neque Mars ab amoribus abducuntur (VI. 59.). Pierides nomine ‚puellarum’ honorat poeta (IV. 35.), tritones ‚iuvenum marinorum’ (XIV. 283.). Venus epistola commendat Marti tironem (XVI. 5.) alia. Daedalus nominatur ‚faber’ (I. 54.), Pegasus ‚caballus’ (III. 118.), Iason ‚mercator’ (VI. 153.), Niobe propter fecunditatem comparatur cum ‚scrofa’ (VI. 177.). Hannibal est ‚dux luscus’ (X. 158.), pater Demosthenis ‚fuligine lippus’ (X. 130.). Talia et similia inveniuntur multa. Iocos suo ingenio, ut ita dicam, inventos perraro edit.

Iam instituenda est quaestio, num, ut pondera daret dictioni, commenticia infarserit descriptionibus ceteroqui veris Iuvenalis. Ad quam rem explanandam sciscitemur, qua re commotus saturas conscripserit. Atque cogitari potest, nec defuerunt, qui hoc affirmarent, poetam sibi elegisse rem tractandam, quae magnam praeberet materiam ad ostentandam eloquentiae artisque rhetoricae facultatem.[2] Res igitur narratas inservire narrandi rationi; poetam, dummodo affectaret verborum pompam, omisisse veritatis laudem. Quod falsum esse mihi videtur. Nonne, cur saturas scribat, primo carmine aperte exponit? Difficile ait esse saturam non scribere, cum omnia pessum irent (v. 30.). Vitia notare vult vel inelegantі sermone, si deficiat ingenium (v. 80.), indignatio enim facit versum (v. 79.). At dices poetam parcere vivis (I. 170.) solosque insectari mortuos. Itaque saturas eius, quippe quibus nemo aut puniatur aut emendetur, esse nugas. Ne certas quidem personas ab eo notatas esse multi dicunt: nomina poni pro totis hominum generibus aut omnino esse ficta. Atque personas, quas nominatim affert, temporis fuisse exceptis paucis Domitiani concedo, sed hoc nihil refert; neque enim tam id agit, ut singulos mordeat, quam

[1] Cfr. II. 64, 65., III. 71, 72, 91., IV. tota satura poeta imitatur lepide epicorum genus dicendi, V. 115, 125., VI. 29. sq. 605., VII. 6, 7, 42, 70, 159, 160., VIII. 109, 221. (cfr. ad h. l. Heinrichius), IX. 130, 136. etc.

[2] Hoc est iudicium Teuffelii.

ut nequitias omnium notet eius aetatis, quam ipse vidit ac videt. Valde errat, qui putat Iuvenalem elegisse cum otio ac deliberatione ex temporibus praeteritis rem ad describendum maxime idoneam. Omnino non elegit, materia ei paene obtrusa est. Dirum Neronis et Domitiani saeculum vidit, sed necem sibi ipse paravisset, si tum saturas scripsisset. Hoc autem constat, Traiano Hadrianoque imperantibus eum verbis versibusque expressisse ea, quae magnam partem Neronis Domitianique aetate mente ac corde composuerat. Unde facillimam habes explicationem eius, quod poetae obiectatur, tempora nimis misceri.[1] Itaque saturae eius non sunt declamationes de tempore praeterito, sed censura scelerum, inter quae medius ipse positus erat, repressa quidem aliquamdiu principis metu, sed ubi primum fieri potuit, in lucem edita. Personas vero generatim positas aut fictas esse qui dicunt,[2] eis contradicere ausim. Martialem sane nominibus licenter uti vel inde apparet, quod varia saepe scelera eisdem personis imputat;[3] verum a Iuvenale, cum, qui idem facinus in se admittit, idem semper nomen induat, maxime verisimile est certos homines significari verisque nominibus appellari. Saepe locis longo spatio disiunctis inveniuntur personae sine dubio eaedem: Maura VI. 308. — X. 224., Catulla II. 49. — X. 323., Pollio IX. 6. — XI. 43. (Pollio citharoedus V. 387. est alius). Crepereius Pollio et Paccuvius Hister XII. 111, 125, 128. quin certi homines sint, propter additum cognomen non dubium est. Nomen fictum apud Iuvenalem inveniri argumentis comprobari nequit. Nec vero, cur ita faceret, poeta habebat. Vera enim nomina reticere opus non erat, cum vexarentur mortui (I. 170.), damnati, obscuri. Atque

---

[1] Cfr. Teuffelius, l. c. p. 416. ‚In der Regel hält sich die Darstellung in eigenthümlicher Schwebe, im Gebiete des Allgemeinen, Zeitlosen.'

[2] Cfr. ib. ‚Diese Vermischung und Verwischung der Zeit verräth sich ganz besonders auch in den bei ihm vorkommenden Personen. Nennt er überhaupt solche, so sind sie entweder fingierte oder willkürlich gewählte oder typische oder allgemeine oder unbedeutende oder der Vergangenheit angehörige.' Bernhardius l. c. pag. 609. ‚Aus dieser (sc. der jüngsten Vergangenheit) entlehnt er hervorstechende Namen als Typen für Domitians Regierung . . .' ‚. . . und beleuchtet seine Themen mit Belegen aus einer anekdotischen Welt.'

[3] Cfr. Giesei ‚De personis a Martiale commemoratis', diss. Greifsw. 1872.

damnati erant certe Marius Priscus I. 49., VIII. 120., Capito, Numitor VIII. 93., sine dubio feminae II. 67.—70. nominatae. Obscuros vero quominus iustis nominibus appellaret, nulla re prohibebatur poeta. Accedit, quod verborum contextu luce clarius saepe demonstratur esse sermonem de hominibus, quos tum unusquisque satis noverat: Lyde II. 141., Procula III. 203., Corbulo III. 251., Heliodorus VI. 373., Themiso X. 221., Hamillus X. 224., Rutila X. 294., uxor Fusci XII. 45. etc. Itaque qui Iuvenalis saturas fuisse arbitrantur vanas declamationes, errant.

Et stultissimus fuisset, si ad ostentandam artis rhetoricae facultatem hanc sibi sumpsisset materiam. Nam quantas sibi fecit simultates, quanta pericula? Quid, quod revera in exilium missus est propter saturas. Quare non solum elegantiae laudem affectavit Iuvenalis, sed ‚derexit bracchia contra torrentem et vitam impendit vero.' Nonne fabulas illas veterum, quas identidem deridet, vel quamlibet aliam rem comptis et rhetorice ornatis verbis narrare potuit sine metu periculi? Certe potuit, sed quamquam elegantiae minime contemptor, immo sublimis dictionis sectator, tamen indignatione scelerum ad saturam deferebatur.

Mitto ipsius poetae verba, quoniam eum proferre testem, de cuius fide disceptatur, non licet:

‚Fingimus haec altum satura sumente cothurnum
Scilicet et finem egressi legemque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutilis caeloque Latino?
Nos utinam vani! sed clamat Pontia: Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quae deprensa patent, facinus tamen ipsa peregi.' —[1]

Attamen talia verba dicere eum, quem aequales mentiri convincere possent, absurdum fuit.

---

[1] Cfr. VI. 634. sq. De Pontiae facinore dubitari nequit. Scholiasta enim rem novit, neque, ut saepe fit, ex poetae verbis sibi adnotationem suam finxit: ‚Pontia, Publii Petronii filia, quem Nero convictum in crimine coniurationis damnavit, defuncto marito filios suos veneno necasse convicta, cum largis se epulis onerasset et vino, venis incisis saltans, quo maxime studio oblectabatur, extincta est.' Accedit, quod Martialis (II. 34. 6. et VI. 75.) Pontiam appellat veneficam.

Ergo non tam verba et numeros, quam sententias et res Iuvenali, cum saturas scriberet, fuisse cordi equidem censeo.

Rumoribus, id quod miraberis, neque enim saturarum poeta hac in re comparari potest cum historiarum scriptore, utitur perraro. De qua re nunc agamus.

Sat. VI. 156. sq.

‚. . . . deinde adamas notissimus et Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori.'

Mordaci ioco significat poeta de rebus pretiosis et hominum clarorum usu notis agens annulum, quem Agrippa minor, ultimus Iudaeorum rex, dono dederit Berenicae sorori tamquam sponsae. Et inter castas Berenica habenda non videtur esse. Nam Titi principis erat concubina.[1] Sed utrum revera cum ipso fratre incesto usu coniuncta fuerit necne, haud satis liquet. Rumorem huius flagitii pervulgatum fuisse ex verbis Flavii Iosephi apparet.[2] Iuvenalis igitur hoc loco rumorem tradit ita, ut rem exploratam quasi narret.

Sat. VI. 614. sq.

‚Tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli
Infudit: quae non faciet, quod principis uxor?'

‚Avunculus ille Neronis' est Caligula, cuius insaniae satis notae sunt; sed causa non erat philtrum Caesoniae uxoris, verum morbus, in quem octavo imperii mense incidit. Itaque Iuvenalis rem praeter veritatem refert. Sed ne hoc quidem loco poeta quidquam de suo finxit. Nam principem insanum fuisse ex Caesoniae medicamento fama erat.[3]

---

[1] Cfr. Tac. hist. II. 2., D. Cass. 66. 15, 18.

[2] Cfr. Flav. Ios. Ant. Iud. 20. 7. 3. ‚*Βερενίκη δὲ μετὰ τὴν Ἡρώδου τελευτήν, ὃς αὐτῆς ἀνὴρ καὶ θεῖος ἐγεγόνει, πολὺν χρόνον ἐπιχηρεύσασα φήμης ἐπισχούσης ὅτι τῷ ἀδελφῷ συνῄει . . .*'

[3] Cfr. Suet. vit. Cal. 50. ‚Creditur potionatus a Caesonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.'

Haec duo exempla inveni. Quae hominum imperitorum nugas non esse etsi eo concludi potest, quod inveniuntur apud Suetonium et Flavium Iosephum, utique sunt rumores neque facta aut ab ipso Iuvenale comperta aut pro certo explorata, at si rem paulo accuratius consideramus, utroque loco neque indignationem solitam neque omnino gravitatem praevalere videbimus. Neque enim Berenicae incastitate poeta ceterarum quoque feminarum impudicitiam comprobare vult, sed strictim et iocose quasi tangitur Berenica in describenda re a castitate procul remota. Alterum exemplum redolere iocum, si quidem conferimus v. 612. et 616. negari non potest. Hoc autem constat, Iuvenalem referre rumores sic, ut traditi sunt, nec de suo addere.

Facinora, quae Iuvenalis semel et a certis hominibus commissa refert, non esse ficta quoniam verisimile videtur esse, iam accingamur ad alteram quaestionem, num omnibus partibus iuste et sincere narret.

Sed priusquam ad ipsam rem aggrediamur, de nonnullis locis pauca dicere velim, ubi poetae fides sine causa in dubium vocata est.

Sat. IV. 9. sq.

‚Incestus, cum quo nuper vittata iacebat,
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.'

Contra codicis Pithoeani et ceterorum magnae partis auctoritatem, qui praebent v. 9. ‚vitiata', omnes fere viri docti suo iure[1] legendum esse consentiunt ‚vittata'. De Crispini cum virgine Vestali incesto a rerum scriptoribus nihil traditum est. Et plerique interpretes dicunt sermonem esse de stupro Corneliae, Vestalium maximae, illato.[2] Nituntur enim voce ‚terram subitura'. Nam

[1] Cfr. quae de ea re dicit Mayor in editionis suae vol. I. pag. 393. sq.

[2] ‚Poeta respexit ad acerbam Domitiani censuram et damnationem Corneliae.' (Rupertius). ‚Es ist die Oberpriesterin Cornelia gemeint.' (Weber). ‚Domitian hat vier Vestalinnen wegen Unkeuschheit bestraft, dreien überliess er die Wahl des Todes. Nur die vierte (Cornelia) liess er lebendig begraben. Mit ihr also trieb Crispinus Unzucht' (Weidner.) ‚Domitian punished four Vestals for unchastity. The first three, Varonilla and the two sisters Ocellata, were

una Cornelia viva terram subiit. Sed neque Plinius,[1] qui rem fusius narrat, neque Suetonius[2] Crispini mentionem faciunt; immo aperte dicunt stupratores in comitio ad mortem caesos esse praeter Licinianum, qui exilio multatus est Tamen Iuvenalis mendacii arguendus non est. Nam de Corneliae stupro illo fatali sermonem non esse puto, sed de priore eius virginis facinore[3] vel de facinore alius cuiusdam virginis Vestalis. Nam participium illud ‚subitura’ non solum vim habere potest ‚quae postea subiit’, sed etiam ‚cui periculum subeundi imminebat’. Hanc saepius habere vim participium docet Heinrichius,[4] qui comparat VI. 44. ‚periturus’. Adulter enim in comoedia non perit, sed in summo periculo versatur. Huic exemplo addere velim XIV. 314. ‚passurus’ i. e. versimile est eum passurum esse et VIII. 267. ‚lugendus’, in quo loco interpretando scholiasta, qui nugatur,[5] auctore olim simili modo erratum est. Nam servus ille a matronis non lugebatur, sed Iuvenalis dicere voluit eum non minus dignum fuisse, qui a matronis lugeretur, quam ipsum Brutum. Ita si hoc loco interpretamur, unaquaeque Vestalis virgo, quae incestum admittebat, terram subitura erat. Quare poetam respexisse ad Corneliae stuprum non necesse est. De ipsa re dubitandum videtur non esse, cum illo tempore Vestalium incesta saepe neglegerentur.[6]

---

allowed the choice of death. A. D. 91 Domitian buried the fourth alive; it was with her therefore, Cornolia, that Crispinus committed incest. The fut. subitura is strictly accurate, as the Dacian war, in which Fuscus died (Juv. ver. 111—2) began 86 A. D.

[1] Cfr. Plin. ep. IV. 11.

[2] Cfr. Suet. vit. Dom. 8.

[3] Cfr. ib. ‚. . . . mox Corneliam, maximam virginem, absolutam olim, dein longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit stupratoresque etc.’

[4] In editionis suae vol. II. pag. 172. Weidner in editione altera quamquam Corneliam non aperte significat, tamen de ea cogitare videtur.

[5] Dicit enim: ‚Vindicius servus qui indicavit filios Bruti Tarquinio portas velle reserare. Quos pater securi feriit, servum autem ut conservatorem patriae manu misit et ut delatorem dominorum cruci adfixit. Quod factum matronae planxerunt.’

[6] Cfr. Suet. vit. Dom. 8.

Sat. VII. 82. sq.

'Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur; sed cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendit Agaven.'

Statius hoc loco poetae non ludibrio est. Eis enim, quae leguntur in vita Iuvenalis,[1] nihil certi efficitur. Immo ex Iuvenalis verbis manifestum est Statium appellari inter eos, qui gloriam iure sibi paraverint, aequam mercedem iniuria non invenerint. Sed haec mittamus; nobis investigandum est, num Statius revera pauper fuerit. Atque Bernhardius[2] negare videtur, ipsum Statium hoc loco non significari confirmans. Sane nominatur pro omnibus eis, quibus sors similis contigit. Sed hac re minime sequitur eum non fuisse pauperem; sine dubio, qui Lucano, poetae illi divitissimo, opponuntur, pauperes erant, imprimis is, qui, ut Bernhardii verbo utar, omnium horum 'symbolum' est. Porro Teuffelius[3] Statium non inopem fuisse demonstrare studet. Praecipue ea re nititur, quod ille praedium possederit. Iuvenalem ait non dicere Statium nihil habuisse, sed Thebaide carmine nihil sibi peperisse. Equidem poetae verba aliter accipio: Statius nihil habuit, carminibus illis ingeniose compositis nihil sibi paravit; itaque, ne fame opprimeretur, histrionibus vendidit pantomimos. De Statii re familiari praeter hos Iuvenalis versus memoriae nihil traditum est. Eo magis miror, quod viri docti id, quod poeta dicit, credere recusant, contrarium verum esse statuunt, quasi Iuvenalis verba non solum nihili, sed utique falsa sint. Quamquam Statius possidebat praedium Albanum, tamen nihil impedit, quominus statuamus eum pauperrimum fuisse. Martialis quoque habebat Nomentanum, sed

---

[1] 'Deinde paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem pantomimum poetamque eius semestribus militiolis tumentem hoc genus scripturae industriose excoluit.'

[2] Cfr. l. c. pag. 493. 'Man sagt, dafs er in dürftiger Lage sein Leben beschlofs.' In adnot. 384. (pag. 496.) dicit: 'Für Iuvenal, VII. 82. ff. ist sein Name nur Symbol.'

[3] Cfr. Teuffelii 'Geschichte d. röm. Lit. 4. Aufl.' pag. 636.

hoc praedium non pretiosius erat, ut ipse iocose dicit,[1] quam prandium. Praedium Statii sine dubio simile erat. Ipse enim dicit Albanum suum vile fuisse et sine pecore.[2] Nec vero Romam reliquisset eo tempore, cum summa gloria florebat, nisi paupertate coactus. Quod in agone Capitolino victus erat, huius rei sola causa certe non fuit. Itaque Iuvenalis verba sic, ut sunt, accipienda esse credo, quamquam non nego ‚esuriendi' vocem nimis gravem esse.[3] Quicunque aliquamdiu in Iuvenalis carminibus versatus est, facile intelleget ‚esurire' hoc loco idem esse atque non habere, unde quis Romae, in urbe illa, ubi res vilissimae vendebantur summo pretio,[4] vitam toleret viro erudito et hominibus nobilibus utenti aptam.

Sat. VII. 188. sq.

‚Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus?'

Nomen Quintiliani v. 186. legitur pro quolibet rhetore. Hoc vel inde apparet, quod non de certo homine sermo est, sed omnino

---

[1] XI. 18. 25. sq. Cfr. etiam epigr. VI. 43. 4. ‚casa iugeribus non onerosa suis.' VII. 31. 8. ‚Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.' IX. 18. 2. ‚rus minimum.' X. 58. 9. ‚dura suburbani iugera agri.' 94. 4. ‚nec furem plumbea mala timent.' XII. 57. 1. sq.

‚Cur saepe sicci parva rura Nomenti
Laremque villae sordidum petam, quaeris?'

[2] Cfr. Stat. silv. IV. 5. 13. sq.

‚Nos parca tellus pervigil et focus
Culmenque multo lumine sordidum
Solantur exemptusque testa
Qui modo ferbuerat Lyaeus.

Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero,
Unique siquando canenti
Mutus ager domino reclamat.'

[3] Cfr. ib. III. 1. 61. sq.

‚Ast ego, Dardaniae quamvis sub collibus Albae
Rus proprium magnique ducis mihi munere currens
Unda domi curas mulcere aestusque levare
Sufficerent, ...'

[4] Cfr. Iuv. III. 165. sq.

de patribus, qui filiorum praeceptoribus parcam concedunt mercedem. Sed Quintilianus ipse pauper non erat. Itaque poeta, qui hoc sibi opponi posse videt, illum insolito fortunae beneficio opes suas debere addit. Notum est Quintilianum primum Romae publicam scholam aperuisse et salarium e fisco accepisse centena sestertia [1]. Accedit quod discipulos habebat et divites et liberales, liberos Flavii Clementis [2], Plinium minorem [3]. Itaque dubitari nequit, quin dives fuerit. Sed nonnulli [4] perturbati sunt Plinii epist. VI. 32. Ibi enim Plinius Quintiliano ad collocandam filiam quinquaginta millia nummum offert, quia ‚modicus facultatibus' fuerit. Quod minime repugnat Iuvenalis verbis. Nam hic Quintilianus idem non est ac clarus ille rhetor. Plinius enim donum offerens praeceptori suo grati erga eum animi aliquam mentionem non praetermisisset, praesertim cum diligentissime, ne accipientem donando laederet, operam daret [5]; tum triginta annis minor natu

---

[1] Cfr. Suet. vit. Vesp. 18.

[2] Cfr. Quint. de instit. orat. § 2. prooemii ad libr. IV. ‚Cum vero mihi Domitianus Augustus sororis suae nepotum delegaverit curam, non satis honorem iudiciorum caelestium intellegam, nisi ex hoc oneris quoque magnitudinem metiar.'

[3] Cfr. Plin. ep. II. 14. 9. ‚ita certe ex Quintiliano, praeceptore meo, audisse memini'. VI. 6. 3. ‚ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quintilianum, Niceten Sacerdotem ventitabat.'

[4] ‚Sed quomodo Quintilianus tam dives dici potest, quem Plinius Epist. VI, 32. Traiani adhuc temporibus animo quidem beatissimum, sed modicum facultatibus fuisse tradit? Dives vocari possit respectu aliorum rhetorum, qui pauperrimi erant, et modicus facultatibus respectu Plinii, qui ditissimus fuit. . . . Quoniam vero tot habuit saltus, tantas potius opes post epistolam illam a Plinio scriptam, Hadriano forsan imperante, acquisivisse, aut Plinius ad alium Quintilianum scripsisse censendus est, aut alius aevi istius rhetor designatur nomine Quintiliani, ut nomine Paridis alius histrio sup. v. 87. sq' (Rupertius). ‚Allein Quintilian brauchte weder auf einmal reich geworden zu sein, noch brauchte er jene hohe Besoldung gleich im Anfange seiner Laufbahn empfangen zu haben, und konnte sehr gut in einer Zeit, da Plinius jenen Brief schrieb, dessen Chronologie ja wohl so ausgemacht nicht ist, um solcher Hypothese zu widerstreben, von beschränkten Mitteln sein, worauf jedenfalls das Anerbieten eines Aussteuerbeitrags von 50 000 Sesterzien deutet: wie er umgekehrt zur Zeit der Iuvenalischen Satire . . .' (Weber).


[5] Cfr. Plin. l. c. ‚. . . plus collaturus, nisi a verecundia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse confiderem ne recusares. Vale.'

se non appellavisset ‚tamquam parentem alterum nostrae puellae’[1]; denique Quintilianum rhetorem eo tempore, quo Plinius epistolam illam scripsit[2], iam mortuum fuisse verisimile est Itaque Iuvenalis et Plinius non inter se repugnant.

Sat. VIII. 39. sq.

‚His ego quem monui? Tecum est mihi sermo, Rubelli
Blande; tumes alto Drusorum stemmate tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli, . . .’

His et antecedentibus versibus Iuvenalis perstringit hominem inertem, maioribus superbum, Rubellium Blandum. Quo magis res pateat, addo stemma.



Nos quidem novimus Rubellium Blandum, maritum Iuliae. Sed ad eum non quadrat illud ‚alto Drusorum stemmate’ neque ‚ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli’[3]. Huic Blando et Iuliae filius erat Rubellius Plautus. Ad eum omnia, quae de genere poeta dicit, optime conveniunt. Itaque iam Lipsius ad Tac. ann. XIII. 19. adnotavit: ‚Iuv. VIII. 39. corrige ‚Plaute’.’ Lipsium igitur plerique secuti sunt. Rupertius, quamquam scribit ‚Blande’, tamen verba facit de eo viro, quem ex Tacito sub nomine

---

[1] Plin. l. c.

[2] Secundum Keilium (C. Plinii Caecilii Secundi epistolarum libri IX) haec epistola, sicut omnes eiusdem libri, conscripta est anno 106. vel 107. post Chr. nat.

[3] Cfr. Tac. ann. VI. 27. ‚Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit, quod Iulia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem, equitem Romanum, plerique meminerant.’

tantummodo Plauti novimus; Heinrichius hunc Plautum significari dicit, in codicibus erratum esse affirmans; Sieboldus denique ipsum Iuvenalem erravisse arbitratur, patris nomen cum tribueret perperam filio[1]. De Weidneri sententia post videbimus. Plerique igitur credunt hoc loco vituperari Rubellium Plautum, Blandi Iuliaeque filium. Sed tum statuendum est Iuvenalem valde discedere a vero. Nam apud Tacitum prorsus contraria de eo dicuntur. Wolfgrammius[2], quin de Plauto sermo sit, nihil dubitans Taciti et Iuvenalis iudicia aversa componere conatur. Qua in re cum non iustis causis, sed opinionibus vagis utatur, refutari neque potest neque debet.

Facile mea quidem sententia est ad intellegendum a Iuvenale omnino non signari Plautum. Atque ne dicas fieri potuisse, ut Iuvenalis aliter, aliter Tacitus de homine iudicarent, rem paulo accuratius explanabo.

Plautus primum in exilium missus[3], tum stimulante Tigellino interfectus est[4] a Nerone. Quae una res Iuvenalem, quippe qui Neronem summo odio oderit, prohibuisset Neronis, ut ita dicam, victimam opprobriis persequi.

Ea ipsa quoque de causa, quod Plautus semper et ubique Neronem timuit atque fugit[5], vana essent illa verba ‚plenus et inflatus Nerone propinquo' (v. 72). Nam haec ipsa affinitas Plauto vitam reddidit inquietam et molestam, mortem subitam et crudelem.

Plauti apud Tacitum[6] laudantur morum integritas, pristinus victus domique simplicitas, quas res Iuvenalis alibi identidem summis laudibus effert.

---

[1] Editionis pag. 163. ‚Der Sohn hiess eigentlich Rubellius Plautus, Tac. ann. XIII. 19. mit Anmerkung von Lipsius. Man muss hier nicht so streng sein, Iuvenal hat den Vater mit dem Sohn verwechselt.'

[2] Fritz Wolfgramm, Rubellius Plautus und seine Beurtheilung bei Tacitus und Iuvenal. Ein Beitrag zur Geschichte des Claudisch-Julischen Geschlechts. Diss. Rost. Prenzlau 1871.

[3] Cfr. Tac. ann. XIV. 22.

[4] Cfr. ib. 59.

[5] Cfr. ib. 22. ‚. . . quantoque metu occultior . . .'

[6] Cfr. ib. ‚Ipse placita maiorum colebat, habitu severo, casta et secreta domo . . .'

Denique quod v. 26.—30. de viris bonis dicitur, apud Plautum revera factum est[1].

Quod Weber dicit[2], haec Iuvenalis opprobria pertinere ad Plauti adulescentiam, nihil valet. Nam si ex adulescente superbo et inflato vir factus est sapiens et aequus, hic post mortem laudandus, non vituperandus est. Ipsius poetae verbis, quae leguntur v. 163. sq.[3], Weberi sententia refutatur. Porro Plautus praematura morte obiit. Pater enim Iuliam duxit anno 33., ipse periit 62. Morum igitur commutatio quam significat Weber, admodum subito incidisset.

Ad has causas quasi cumulus additur, quod et in codicibus et apud scholiastam legimus ‚Blande', non ‚Plaute'. Itaque viri docti male fecerunt, quod tamquam vi Iuvenali imputaverunt malum de homine probo iudicium.

Weidner rem aliter expedire studuit. Atque summa cum fiducia sermonem esse ait de Blando quodam, Rubellii Plauti filio[4]. Sed verum non vidit. Primum enim, si eius interpretationem sequimur, illud ‚ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli', quibus verbis Iuliam designari manifestum est, pertinet ad aviam Blandi, non ad matrem[5]. Quae explicatio nimis arcessita

---

[1] Iuv. v. 26. sq. ‚Salve, Gaetulice, seu tu
Silanus: quocunque alio de sanguine rarus
Civis et egregius patriae contingis ovanti,
Exclamare libet, populus quod clamat Osiri
Invento.' — Tac. l. c. ‚Et omnium ore Plautus celebratur . . .'

[2] ‚Das, was ihm Iuvenal hier zur Last legt, muss also in dessen (sc. des Plautus) frühe Jugend gehören, oder auf verdächtigen Quellen beruhen.'

[3] ‚Defensor culpae dicet mihi: ‚Fecimus et nos
Haec iuvenes.' Esto, desisti nempe nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes;
Quaedam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris.'

[4] Dicit enim ad h. l. ‚Sein (sc. des Plautus) Sohn, den hier Iuvenal erwähnt, hiess, wie der Grossvater, Rubellius Blandus. Denn dass Plautus Kinder hatte, bezeugt Tacitus XIV. 59. ‚amore coniugis et liberorum.' In editione altera rectius interpretatur de fratre Plauti cogitans, sed filium Plauti significari omnino non posse ne nunc quidem intellexit.

[5] Cfr. ib. ‚So viel ist sicher, dass Iuvenal, mit den Personalien jener Zeit sehr gut vertraut, einen Irrthum nicht begangen hat, denn im uneigent-

est. Suspicio vero Weidneri Blandum filium esse spurium Plauto ex Agrippina natum[1], testimoniis non solum caret, sed prorsus futilis est. Filius Plauti hoc loco signari omnino non potest propter rationem temporum. Quae Weidner dicit ad v. 71, 72.[2] falsa sunt. Nam Plautus, ut supra vidimus, ante annum 33. natus non est. Quid quod ipse Nero[3] de ‚iuventa' eius loquitur. Filius autem, si quem habuit, puer fuerit necesse est paucorum annorum, cum Nero periit. Ad hunc verba poetae spectare non possunt. Flaviis autem imperantibus vix quisquam erat ‚inflatus plenusque Nerone propinquo'. Denique obstat Weidnero v. 71. ‚quem nobis fama superbum tradit'. Iuvenalis enim prius, quam Plauti filius omnino nasci potuit, aut certe eodem tempore, natus est. Itaque Weidneri explicatio falsa est.

Eodem, quo Weidner, errore obstrictus est Mayor[4]. Blandum ait esse filium Plauti, v. 42. eum confundi cum patre.

Equidem, quia Iulia mater eius est, de quo agitur, et quia poetae verba ad unum, quem nos quidem novimus, filium Plautum pertinere minime possunt, nihil reliquum esse puto, quam ut sermonem esse statuamus de fratre Plauti. Atque frater Plauti commemoratur apud Orellium[5], soror aqud Henzenum[6]. Quod de

---

lichen Sinne konnte er für seinen Zweck das concipere te auch von der Grossmutter des Blandus gebrauchen.'

[1] Nihil afferre potest nisi Tac. XIII. 19. ‚. . . destinavisse eam (sc. Agrippinam) Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus invadere.'

[2] Dicit enim: ‚Aus dieser Stelle ist nicht zu schliessen, dass Iuvenal den Rubellius Blandus mit Rubellius Plautus unter Nero verwechselt hat. Im Gegentheil: unter Nero war Plautus kein iuvenis mehr, wohl aber sein Sohn Blandus.'

[3] Cfr. Tac. ann. XIV. 22. ‚Esse illi (sc. Plauto) per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida iuventa frueretur.'

[4] Cfr. quae dicit Mayor ad v. 39. ‚. . . One son (sc. Plauti) appears (as was usual) to have assumed his grandfather's cognomen, and in Juvenal's time to have been notorious for his pride of birth.' Id. ad v. 42. ‚Rubellius Plautus the father, who was the son of Julia, is here confoundet with his son.'

[5] Cfr. inscr. 678. COMMVNIO VERNA || ANTONIAE AVGVSTAE || V. A. II. MES. X. || COLLACTEVS DRVSI || BLANDI F.

[6] Cfr. inscr. 5395.

eo, in quem poeta insectatur, memoriae nihil traditum est, non mirum, cum ipse Iuvenalis (v. 41.) haud obscure significet eum nihil memoria dignum fecisse.

Iuvenalis igitur erroris aut mali de homine probo iudicii arguendus non est.

His exemplis comprobare volui non aequum esse Iuvenali fidem abrogari, ubi neque ipsa re neque aliorum rerum scriptorum testimoniis dubitatio certissima moveatur. Mendacii scilicet immerito suspecto, ut fere fit, nihil creditur; quod supra vidimus, de Statii re familiari cum ageremus. Iam vero multo magis vituperanda est consuetudo eorum, qui, quoniam, ut credant, difficile adducuntur, correctoris et emendatoris partes sibi sumunt. Lipsius quidem plurimorum cum assensione ‚Rubellius Blandus' mutavit in ‚Rubellius Plautus'. Coniectura igitur utique poetae verbis credibilior videtur esse.

Haec satis ad eos, qui nimia dubitandi obstinatione tenentur; iam, ut erat propositum, aggrediamur ad quaestionem, num omnibus partibus iuste et sincere Iuvenalis narret. Quod quominus in descriptionibus generalibus faceret, duabus potissimum causis prohibitus est: quod nihil nisi mala respicit poeta bonaque omnino esse fere negare videtur et quod genere dicendi utitur artibus rhetoricis plane infecto.

Opinione in rebus diiudicandis ducitur quam pessima. Homines ad unum paene omnes esse malos dicit[1], probitatem suis honoribus carere[2], posteritatem flagitiis nil addere posse[3]. Neque stultitias deridet, sed scelera insectatur; qua in re non scutica, semper flagello utitur. Luculentissimum huius rei exemplum habes saturam VI., qua uno quasi tenore et nova flagitia et tritae fatuitates feminarum verbis aeque gravibus tractantur. Iuvenalis igitur et inaudita parte altera et severissime ius dicit. Nec vero, id quod non praetermittere velim, innata quadam indole omnia

---

[1] XIII. 26. sq. ‚Rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili.'

[2] I. 74. ‚Probitas laudatur et alget.'

[3] I. 147. sq. ‚Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas, eadem facient cupientque minores,
Omne in praecipiti vitium stetit.'

inique recenset, sed, quia tot homines tum revera mali erant, ideo in opinionem malam discessit[1]. Itaque Iuvenalis censura nimis acris non comparari potest cum poetarum quorundam querelis ineptis, in quas de vita beata desperantes diffluunt. Sed utique iudicium iniquum facit.

Altera causa ex studiis rhetoricis petenda est. Quod traditum est, eum ad mediam fere aetatem declamavisse (cfr. vitae), ipse fatetur I. 15. sq.; neque ut tali studio imbutus, cum saturas scribere coepisset, pristinam consuetudinem non servaret, fieri potuit. A moribus, ne dicam vitiis, scholae, cuius in umbraculis tot per annos desudavit, eo difficilius discedere licuit, quod illo tempore eruditorum assensioni accommodata erat gravis quaedam et sublimis dictio. Atque aperte commemorantur declamationum argumenta I. 16., VII. 115, 151, 161, 169., VIII. 81.[2]; sed nescio an plura et occulta vestigia exstent, quae furtim quasi irrepserint. Certe quoniam totum scribendi genus artibus rhetoricis infectum est, multae statuendae sunt verborum exaggerationes.

Haec in universum dicenda esse videbantur de descriptionum Iuvenalianarum natura et veritate. Nunc usque quo in referendis rebus certis a vero abducatur, nonnullis exemplis consideremus. Atque quin rerum inscientia non laboret, dubium esse nequit, cum in priore saturarum parte exceptis paucissimis

---

[1] Cfr. quae dicit Schiller noster in commentationis ‚Ueber naive und sentimentalische Dichtung' parte, quae inscribitur ‚Satirische Dichtung'. ‚Die pathetische Satire muss also jederzeit aus einem Gemüthe fliessen, welches von dem Ideale lebhaft durchdrungen ist. Nur ein herrschender Trieb nach Uebereinstimmung kann und darf jenes tiefe Gefühl moralischer Widersprüche und jenen glühenden Unwillen gegen moralische Verkehrtheit erzeugen, welcher in einem Iuvenal, Swift, Rousseau, Haller und Anderen zur Begeisterung wird. Die nämlichen Dichter würden und müssten mit demselben Glück auch in den rührenden und zärtlichen Gattungen gedichtet haben, wenn nicht zufällige Ursachen ihrem Gemüth frühe diese bestimmte Richtung gegeben hätten; auch haben sie es zum Theil wirklich gethan. Alle die hier genannten lebten entweder in einem ausgearteten Zeitalter und hatten eine schauderhafte Erfahrung moralischer Verderbniss vor Augen, oder eigene Schicksale hatten Bitterkeit in ihre Seele gestreut.'

[2] Cfr. Madvigii opusc. academ. T. I. pag. 45.

ea tractet, quae non vidit solum, sed adeo adultus vidit, ut singula discernere et recte diiudicare posset; hoc unum disceptabitur, quatenus exaggerandi studio a vero discedat.

Sat. I. 47. sq.

‚. . . et hic damnatus inani
Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exul ab octava Marius bibit et fruitur dis
Iratis. At tu victrix provincia ploras!'

Sermo hoc loco est de Mario Prisco, qui Africae provinciae proconsule praefuerat. Post ab Afris repetundarum (cfr. VIII. 120.) accusatus mense Ianuario anni 100. damnatus est. Cuius damnationis vis non satis inter viros doctos constat; alius enim aliter de ea re iudicat. Imprimis autem illud ‚salvis nummis' in obscuro est. Hausisse se omnes confitentur ex Plinio,[1] sed haud diligenter legerunt. Narremus igitur ad examinandam Iuvenalis veritatem Plinio duce rem, sicut facta est; editorum autem errores suo loco perstringemus.

Afris, ut iam dictum est, accusantibus repetundarum Marius se absolvi posse desperans reum se esse confessus est iudicesque petivit, qui rapta aestimarent. Marius repetundarum poenas dedit.[2] Quia Plinius de poena nihil accuratius affert, statuendum videtur esse Marium, ut mos erat, quadruplum eorum, quae rapuerat, vel potius, quae aestimaverant iudices, provincialibus solvisse. Sed ad repetundarum causam altera accedebat cum hac haud arte coniuncta.[3] Plinius enim et Tacitus, cum rapta aestimata essent, Marium alia quoque scelera in se admisisse intellexerunt, quae immanitate excederent crimina, quibus iudices dari possent. Namque Marius, a Vitellio Honorato trecentis millibus acceptis, equitem Romanum exilio septemque eius amicos morte multaverat et, a Flavio Marciano septingentis millibus acceptis, equitem Romanum

---

[1] Epist. II. 11.

[2] Hoc apparet ex Plinii verbis, quae sunt l. c. § 13. ‚Erat ergo perquam onerosum accusare damnatum, quem ut premebat atrocitas criminis, ita quasi peractae damnationis miseratio tuebatur.'

[3] Plin. l. c. § 3. ‚. . . ne quid ultra repetundarum legem quaereretur . . .'

fustibus caedi, in metallum mitti, denique strangulari iusserat. De his igitur sceleribus Plinius et Tacitus senatum certiorem fecerunt. Nonnullis frustra renuentibus causa per tridui spatium praesidente Traiano principe in senatu acta est. Et Honorati, qui mortuus erat, res omittebatur, de eo tantum agebatur, quod Marcianus a Mario equitis Romani necem septingentis millibus emerat. Tandem permultis verbis utrimque factis senatus censuit septingenta millia, quae acceperat Marius, aerario inferenda, Mario urbe Italiaque interdicendum, Marciano hoc amplius Africa. Mitior sententia Pompei Collegae, septingenta millia aerario inferenda et Marcianum in quinquennium relegandum, Marium repetundarum poenae, quam iam passus esset, relinquendum esse, non praevaluit. Ceterum relegatione, non exilio multatus est Marius.[1] Itaque duae diversae causae erant: et repetundarum et corruptionis vel potius necis. Hoc autem pro certo statuendum est, Marium quadruplum eorum, quae aestimata sunt, Afris restituisse, praeterea septingenta millia in aerarium illata, ipsum relegatum esse neque rem familiarem amisisse.[2]

Iam videbis, quantis erroribus editores laborent. Nam de pecunia repetita in aerarium delata[3] Plinius omnino nihil dicit. Septingenta autem illa millia, quae Marius acceperat a Marciano dono data, ad Africanos aut ad repetundarum causam nihil pertinent. Una cum adnotatione Rupertiana Heinrichius[4] exscripsit errorem Rupertianum. Neque septingenta millia sunt poena repetundarum.[5] Qua ratione Weidner hoc credere potuerit, nescio.

---

[1] Plin. ep. VI. 29. 9. ‚Accusavi Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus utebatur clementia legis, cuius severitatem immanitate criminum excesserat: relegatus est.'

[2] Hoc enim interest inter relegationem et exilium.

[3] Male Rupertius ad h. l. ‚inane, quod neque provincialibus quidquam profuit, quoniam pecunia repetita ipsis non reddita, sed in aerarium delata est.'

[4] Verba eius sunt haec: ‚Marius Priscus wurde verurtheilt, die erpressten septingenta millia an das Aerarium zu zahlen und Italien zu verlassen.'

[5] Hoc Weidner putat dicens: ‚Marius Priscus hatte die Provinz Afrika, wie einst Verres Sicilien, gänzlich ausgesogen.' Quae verba in editione altera desunt. Tum pergit: ‚Er wurde von Plinius de repetundis angeklagt und zu einer Strafe von 700000 Sest. sammt der Verbannung aus Rom und Italien verurtheilt.'

Quadruplum enim eius, quod rapuerant, vexatoribus provinciarum erat restituendum. Itaque Marius Weidneri sententia circiter 40 000 marcarum nostrae pecuniae ex Africa provincia coegit. Sed hoc certe fuisset proconsulis admodum lenis. Paene verum vidit Weber,[1] sed sententiam senatus et sententiam Pompei Collegae miscet. Quod idem Sieboldus [2] Nam verba, quae affert, spectant ad sententiam Collegae, non ad senatus consultum. Mayor[3] quoque Marium praeter illa septingenta millia nihil pecuniae amisisse putat.

Iuvenalis igitur, etsi iustum discrimen non facit, utrumque Marii significat scelus. Miscet enim ‚provinciam plorantem' cum poena relegationis, quae res inter se non cohaerent. Sed illis, quibus saturam scripsit, temporibus res in omnium animis fuerit necesse est. Itaque Iuvenali non obiectari potest, quod paulum obscure loquitur. Atque verba eius quid sibi velint, iam intellegimus: ‚inani' quod poena non adaequata erat sceleribus, ‚salvis nummis' quod relegatus est bonis non ademptis. Quae explicatio simplicissima est et res omnino vera. Ceterum praetermittendum non est iudices plerumque satis mitem aestimationem fecisse provincias scilicet si minus vexari, tamen aliquo modo spoliari aequum esse ratos. Accedit quod Marium non tota provincia, sed multi privati accusabant,[4] qua re aestimandi munus admodum difficile erat. Satis multa exempla exstant, quibus docemur vexatores provinciarum, etsi quadruplum aestimati solverant, tamen ingentes ex raptu divitias retinuisse. Notus est Licinus, vexator Galliae.

Itaque ea, quae Iuvenalis narrat, recte se habent: iudicium nimis lene erat; Marius bonis non ademptis in exilio divitiis frui

---

[1] ‚Plinius sagt ausdrücklich, bei der Strafe der Erpressung — er hatte das Vierfache des abgeschätzten Schadens an die Provincialen erlegt — die er schon erstanden, habe es sein Bewenden behalten.'

[2] Leguntur apud eum haec: ‚Uebrigens deutet auch Plinius darauf hin, dass die Art, wie Marius bestraft wurde, mit seinen begangenen Unmenschlichkeiten in keinem Verhältnisse stehe: er nennt das Votum, welches ihm die Strafe diktierte, eine ‚sententia solutior et mollior'.'

[3] Dicit enim: ‚After a 3 days' trial it was decreed, that the 700 000 should be paid into the treasury, and that Marius should be banished from Italy.'

[4] Cfr. Plin. ep. III. 9. 4.

potuit. Afris sine dubio non omnia restituta sunt. Sed hoc concedendum est, singula verba gravia et nimis exaggerata esse.

Sat. II. 29. sq.

‚Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
Cum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret et patruo similes effunderet offas.'

De hoc loco, cum et res gravissima sit et exemplum ad illustrandam Iuvenalis rationem narrandi valde idoneum, fusius agere mihi liceat. Atque his versibus notari Domitianum constat. Nam etsi scholiastae verbis admodum confusis, et quae corruptione non vacare videantur, Claudius nominatur,[1] tamen ‚Iuliae' et legum ‚Veneri Martique timendarum' commemoratione, quin ad Domitianum spectent Iuvenalis opprobria, dubitare vetamur. Et acerbitate vere Iuvenaliana imperatori scelus imputatur, quo non deorum solum et naturae, sed suas ipsius leges foedissime perruperit. Sed omniane recte se habeant et prorsus accurate relata sint, haud aliena videtur esse quaestio. Nec vero satis erit demonstravisse eundem Domitianum et revocatas contra libidines leges summa cum severitate exercuisse et turpi concubitu pollutum esse, sed caput totius loci est hoc utrumque factum esse uno eodemque tempore, id quod poetae verbis ‚tunc — cum' aperte indicatur. Itaque primum de legibus a Domitiano revocatis, tum de eius cum Iulia consuetudine sermo erit, postremo autem explanabitur, quo iure verbis ‚tunc — cum' Iuvenalis utatur.

Domitianus leges olim contra libidines et lasciviam latas, sed paulatim oblivione obrutas, denuo in lucem retraxit, eisque nisus cum viros tum feminas punivit. Legem Scantiniam de

[1] Ad VI. 116. claris verbis dicit: ‚Haec (sc. Messalina) est, de qua dicit ‚et patruo similes effunderet offas'.' Scholiastae error eo ortus videtur esse, quod Claudius Agrippinam, fratris filiam, in matrimonium duxit; fortasse etiam significari scholiasta putabat illo ‚similes patruo offas' Claudii figuram pravam Cfr. Suet vit. Claud. 30.

nefanda venere legemque Voconiam,[1] qua feminae hereditates accipere vetabantur, in usum revocavit; legem Iuliam vero de adulteriis[2] edicto restituit. Utrum aliae quoque leges revera restitutae sint necne, non constat. Ex plurali illo ‚leges revocabat' hoc, ut nonnullis editoribus visum est, concludere non licet, cum voce ‚revocandi' hoc loco significetur non solum legis Iuliae, sed etiam Scantiniae et Voconiae renovatio. In virgines Vestales inusitata severitate[3] animadvertit. Itaque Domitianus leges amaras revocavisse dici potest. Quodsi ‚ipsis Veneri Martique timendas' fuisse has leges dicit Iuvenalis, hac re imperatoris in illis sceleribus detegendis diligentia saevitiaque in puniendis iocosa et festiva exaggeratione narratiuncula ex Hom. Od. VIII. 266. sq. deprompta notantur. Domitianum revera severissime egisse exemplis allatis confirmatur; causam quidem de incesto virginum Vestalium tanta cum saevitia tractavit, ut Helvius Agrippa pontifex in medio senatu, ubi causa agebatur, terrore percussus subito obiret.[4]

Deinde de Domitiani et Iuliae amoribus, quo clarior res fiat, altius repetam. Iulia erat filia Titi, fratris Domitiani. Quam ille etiamtum virginem amavit, sed oblatam in matrimonium recusavit. Non multo post Flavio Sabino collocatam corrupit ultro et quidem vivo Tito.[5] Domitiae uxori, quam Paridis histrionis deperditam amore repudiaverat, reconciliatus nihilominus Iulia

---

[1] Cfr. Suet. vit. Dom. 8. ‚Quosdam ex utroque ordine lege Scantinia condemnavit.' Ib. ‚Probrosis feminis lecticae usum ademit iusque capiendi legata hereditatesque.'

[2] Cfr. Mart. epigr. VI. 7.

‚Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est . . .'

Cfr. etiam A. Imhofii ‚T. Flavius Domitianus, ein Beitrag zur Gesch. der röm. Kaiserzeit nach den Quellen dargestellt' pag. 95.

[3] Cfr. Suet. vit. Dom. 8. ‚Incesta Vestalium virginum, a patre quoque suo et fratre neglecta, varie et severe coercuit, priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam cum Oculatis sororibus item Varonillae liberum mortis permisisset arbitrium corruptoresque earum relegasset, mox Corneliam, maximam virginem, absolutam olim, dein longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit stupratoresque virgis in comitio ad necem caedi, excepto praetorio viro . . .' Cfr. etiam Plin. epist. IV. 11. 6. et D. Cass. 67. 3.

[4] Cfr. D. Cass. 67. 3.

[5] Cfr. Suet. vit. Dom. 22.

utebatur.[1] Cuius maritum, Flavium Sabinum, causa usus ridiculosissima e medio sustulit.[2] Ceterum tam propalam agebatur adulterium, ut Ephesi sacra nuptialia celebrarentur.[3] In hac cum Iulia consuetudine permansisse continenter Domitianus videtur. Quod non solum Dionis illo ‚κὰκ τούτου’,[4] sed etiam aliis rebus comprobatur. Nam anno 84. cum imperator ex bello contra Chattos gesto, quos ne vidit quidem, rediisset vanumque illum triumphum egisset,[5] in quo servi habitu Chattorum vestiti pro captivis erant, inter omnium adulationem unus Flavius Ursus, libertus quidam, verum dicere ausus est. Qui vitam propter hoc facinus capitale amittendam precibus debuit Iuliae.[6] Iam quantopere Domitianus feminam illam amaverit vivam, ex illis luculentissime apparet, quibus decoravit mortuam. Monetas[7] in honorem eius cudendas curavit hoc titulo: Divae Ivliae Aug. Divi Titi F. S. P. Q. R. Imp. Caes. Domit. Avg. Germ. Cos. XV. Cens. Per. P. P.; statuas eius marmoreas Veneris forma ab artificibus fingi iussit,[8]

---

[1] Cfr. D. Cass. 67. 3. ‚*κὰκ τούτου τῇ ἀδελφιδῇ τῇ ἰδίᾳ, ἤγουν τῇ Ἰουλίᾳ, ἀπαρακαλυπτότερον ὡς γαμετῇ συνῴκει. εἶτα δεηθέντος τοῦ δήμου κατηλλάγη μὲν τῇ Δομιτίᾳ, ἐχρῆτο δ' οὐδὲν ἧττον τῇ Ἰουλίᾳ.*’ Cfr. etiam Suet. vit. Dom. 3.

[2] Cfr. Suet. vit. Dom. 10. ‚. . . Flavium Sabinum, alterum e patruelibus (sc. occidit), quod eum comitiorum consularium die destinatum perperam praeco non consulem, sed imperatorem, pronuntiasset.’

[3] Cfr. Imhofius, pag. 129.

[4] Cfr. D. Cass. 67. 8.

[5] Cfr. Tac. Germ. 37., Agr. 39., D. Cass. 67. 4.

[6] Cfr. Imhofius, pag. 50.

[7] Cfr. Eckhelii ‚Doctrina nummorum veterum’ Tom. VI. pag. 366.

[8] Cfr. Mart. epigr. VI. 13.

‚Quis te Phidiaco formatam, Iulia, caelo,
Vel quis Palladiae non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine lygdos
Et placido fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo.
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor summique Tonantis.
A te Iuno petat ceston et ipsa Venus.’

Hirschfeldius (Göttinger gelehrte Anzeigen 1869, pag. 1506) valde errat, quod hoc carmen ad vivam Iuliam pertinere putat. Nam praeterquam quod

denique eam consecravit.[1] Haec de Domitiani et Iuliae amoribus. Atque non solum abortum de Domitiano eam fecisse, sed etiam mortuam esse hoc abortu rerum scriptorum testimoniis extra omnem dubitationem positum est.[2]

De voce ‚tragico concubitu' pauca esse dicenda videntur. Est enim ‚tragicus' non quod nos dicimus ‚tragisch i. e. tristi exitu', sed illud, quod ad veterem tragoediam pertinet. Atque hoc loco concubitus tragicus appellatur, quia consanguinei erant Domitianus et Iulia, et quia in tragoedia de Oedipo et Iocasta et saepius similia narrantur. Dixerit autem fortasse quispiam hoc loco vocem ‚tragici' pravam praebere sententiam, quia patruo fratris filiam in matrimonio habere inde a senatus consulto, quod dicitur, Claudiano licuerit.[3] Sane cum anno 49. Claudius Agrippinam, fratris filiam, uxorem ducturus esset, senatus tale matrimonium legitimum esse censuit. Sed cave hanc sententiam omnium consensu aut sine magna adulatorum contentione praevaluisse putes.[4] Universi populi de hac re opinio illo decreto minime mutata est, quod Tacitus claris verbis testatur.[5] Itaque quod Iuvenalis hoc loco non senatus consultum servili erga principem animo factum, a plurimis autem contemptum, sed non bonorum solum, verum etiam totius populi de hac re sententiam respicit,

---

post epigr. VI. 3., quo Iuliam mortuam esse luce clarius ostenditur, hoc carmen vivae dedicatum sequi mirum esset, omnino versus illi intellegi non possunt, nisi ad statuam eos spectare putamus Iuliam divam exprimentem. Cfr. etiam. Friedlaender in editione Martialis epigrammatum ad h. l.

[1] Iulia in templo Flaviae gentis humata Divis Flaviis adnumerata est.

[2] Cfr. Suet. vit. Dom. 22. ‚. . . mox patre et viro orbatam ardentissime palamque dilexit, ut etiam causa mortis exstiterit coactae conceptum a se abigere.' Plin. ep. IV. 11. 6. ‚ . . . cum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset: nam vidua abortu periit.'

[3] Cfr. Tac. ann. XII. 7., Suet. vit. Claud. 26. Cfr. etiam Marquardt-Mommseni ‚Handbuch der röm. Alterthümer' Tom. VII. pag. 30. et Haenelii ‚Corpus legum ab imperatoribus Romanis ante Iustinianum latarum' pag. 50., qui affert Ulpian. 5. 6. et Gai. 1. 62. ubi haec: ‚Fratris filiam uxorem ducere licet, idque primum in usum venit, cum D. Claudius Agrippinam, fratris sui filiam, uxorem duxisset.'

[4] Cfr. Tac. ann. XII. 5.

[5] Cfr. ib. XII. 7., XI. 25., XII. 5., XIII. 2., XIV. 2.

hoc minime vituperandum est. Ipsam vocem ‚tragici' nimis gravem esse et modum excedere non nego.

Sed fieri potest, ut rebus per se veris, si nimis inter se illigantur atque opponuntur, sententia oriatur omnino falsa. Nam si poeta dicere voluerit Domitianum per totum, quo imperabat, tempus ceterorum libidines severe coercuisse, sibi hac in re nimis indulsisse, vel si Domitiani ille turpis concubitus et legum restitutio longiore temporis intervallo disiuncta sint, poeta, quia utitur verbis ‚tunc — cum' ex industria in legentium animis falsam opinionem excitare convincatur. Exsistit igitur quaestio, utrum Iuvenalis salva veritate has res tam arte coniunxerit necne. Atque editores in hanc rem inquirere omiserunt; immo ex poetae verbis de rebus Domitianeis concluserunt. Rupertius quidem, quia apud Dionem[1] legitur ‚κἀκ τούτου' .... ‚τῇ Ἰουλίᾳ συνῴκει', quod ad annum 83. pertinet, hoc quoque anno leges Iulias restitutas esse arbitratur.[2] Desunt sane apud rerum scriptores de his rebus verba aperta, sed eo magis industrie indicia vel minima perquirenda, nec verba poetae temere accipienda sunt.[3]

Atque de Iuliae quidem morte haec enucleavi. In monetae, quam supra[4] diximus, titulo Iulia appellatur ‚Diva'; Domitianus autem tum consulatum egit XV. (Domit. Avg. Germ. Cos. XV.),

---

[1] Cfr. D. Cass. 67. 3.

[2] Cfr. verba Rupertii (in argumeuto ad sat. II.): ‚Nobis Dioni sufficit credere, a quo scelus refertur ad annum 83. Sed non obscure ipse arguit Iuvenalis, hoc eodem tempore fuisse, ut principis edicto ‚leges amarae' in usum revocarentur.'

[3] Heinrichius haec: ‚Gerade zu jener Zeit, als die Geschichte mit der Nichte allgemeines Aufsehen erregte, erfolgte durch ein Edikt die Erneuerung der lex Iulia de adulteriis, ein empörender Contrast! Es erhält das Faktum in Ansehung dieser Erneuerung aus der Stelle des Iuvenal zugleich eine Zeitbestimmung [?], und man sieht auch noch, von welcher Zeit an [?] das heuchlerische Unwesen der Grossen in Rom, welches unsere Satire schildert, datiert werden muss.' Multa verba, testimonia nulla. Weidner: ‚Gleichwohl erfolgte um dieselbe Zeit durch ein Edikt die Erneuerung der lex Iulia de adulteriis. (In editione altera de tempore nihil dicit.) Cfr. Suet. vit. Dom. 22. A. Imhof, pag. 95.' Sed neque apud Suetonium neque apud Imhofium de tempore quidquam legitur.

[4] Cfr. huius commentationis pag. 31.

qui in aunum 90. cadit. Itaque anno 90. Iulia iam mortua erat[1]. Sed quominus eam ipso anno 90. obiisse arbitremur, actis fratrum Arvalium prohibemur, quibus apparet eam a. d. III. non. Ian. anni 90. iam mortuam fuisse. Nam in votis, quae illo die susceperunt fratres Arvales, Iulia non videtur commemorata esse,[2] viva nuncupabatur.[3]

Hoc idem evenit, si alteram ratiocinandi inimus viam. Eusebius enim in chronologio dicit[4] Corneliam, virginem maximam, anno ab Abraam 2106. vivam defossam esse. Hic autem annus a kalendis Octobribus anni post Chr. n. 89. incipit.[5] Atque Plinius Iuliam ante Corneliam obiisse testatur.[6]

---

[1] Cfr. etiam quae huius commentationis pag. 31. de Martialis epigr. VI. 13. interpretando et pag. 36. de tempore, quo Martialis libr. VI. conscripserit, dicuntur et Henzeni ‚Acta fratrum Arvalium' pag. CXVI. et XIIC.

[2] Cfr. Henzenus, l. c. pag. CXXIV. ‚*Imp. Caesare Domitia*no Aug. Germanico XV. *pontifice maximo tribunic. po*test. VIIII. censore perpetuo p. p. *M. Coccio N*erva II. cos. *magisterio P. Sal*lusti Blaesi II. *III. non.* Ianuar. *in Capitolio in pronao Iovis O. M.* . . . . rus frater Arvalis ad collegium fratrum Arvalium rettulit: cum di inmortales *propitiato numine suo vota orbis terrarum, quae pro salute* imp. Caesaris divi Vespasiani f. Domitiani Aug. Germanici pontificis maximi et *Domitiae Aug. coniugis eius totique domui eorum cupi*de suscepta erant, audierunt, convenire collegio priora solvere . . .' Hoc loco angusto inter litteras e t et d e spatio nos prohiberi, quominus statuamus etiam Iuliam Augustam nominatam fuisse recte perspexit Henzenus. Cfr. v. 18. 32. Omnis autem dubitatio eximitur v. 11. scriptura plane servata.

[3] Cfr. pag. CXVI. ‚Imp. *Ca*esare Domitiano Aug. Germ*anico XIII.* L. Vol*usio* Saturnio *cos.* III. *non. Ianuar.* . . . vota orbis terra*rum,* qua*e pro* salute imp. Caesaris . . . . et Domitiae Aug. c*oniugis eius et Iuliae* Aug. totique domui eorum etc.' pag. CXVII. ‚. . . et Domitiae Aug. coniugis eius et Iuliae Aug. *totique d*omui eorum etc.' pag. CXVIII. ‚. . . *C. Salvius* Liberalis Nonius Bassus frater Arvalis . . . . *sa*crificium deae Diae in hunc annum sic indixit: *quod bo*num etc. imp. *Caes*ari Domitiano Au*g*. . . . et Do*mitiae* Aug. *con*iugi eius et Iul*iae Aug. totiq*ue domui eorum . . .'

[4] Cfr. A. Schoenei ‚Eusebii chronicorum libri duo' pag. 160. ‚Maxima virginum Vestalium Cornelia convicta stupri iuxta legem viva defossa est.'

[5] In quo erratum est, donec Gutschmidius (De temporum notis, quibus Eusebius utitur) rem cum omnium comprobatione explanavit.

[6] Cfr. Plin. ep. IV. 11. 6. ‚. . . damnavit (sc. Corneliam) incesti, cum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset.'

Iam vero ante annum 89. Iuliae mors collocanda non est. Anno 87. enim etiamtum vivebat;[1] usque ab illo autem tempore Domitianus in bello contra Dacos gerendo absens erat, absente autem Domitiano Iulia non obiit.[2] Initio anni 89. in bello etiamtum versabatur imperator, de qua re actis fratrum Arvalium docemur.[3] Nam huius anni mense Ianuario bis vota suscepta sunt pro principis victoria et reditu, quae pertinere ad bellum Dacicum Hirschfeldius[4] demonstravit.

Itaque pro certo statuendum est Domitiani et Iuliae tragoedias posterioribus anni 89. mensibus exstitisse.

Sequitur, ut explanemus, quo tempore lex Iulia restituta sit. Atque Martialis in VI. epigrammatum libro huius rei identidem[5] mentionem facit, cum in libris qui antecedunt de hac re omnino nihil dicat. Iam vero VI. 7. claris verbis demonstratur legem illam nuperrime esse renovatam.[6] Itaque, quando Martialis librum VI. scripserit, quaestio instituenda est.[7] Et certe scripsit

---

[1] Nuncupatur enim in votis, quae fratres Arvales initio eius anni susceperunt (Cfr. Henzenus, pag. CXVII. et CVIII. Qui fuerit dies, ex lapide non satis constat, certe mense Ianuario anni 87. Iulia vivebat.

[2] Cfr. Suet. vit. Dom. 22 '. . . ut etiam causa mortis exstiterit coactae conceptum a se abigere.'

[3] Cfr. Henzenus, l. c. pag. CXXI. 'Isdem cos. pr. idus *Ianuar.* in Capitolio ex s. c. pro salute et vict*oria et reditu* imp. Domitiani Caesaris Aug. Ger*manici fratres Arvales vota* nuncuparunt. In colleg*io interfuerunt* L. Veratius Quadratus etc.' Ib. 'Isdem cos. XVI. k. *F*ebr. in Capitolio ob vota adsuscipienda *ex ed*icto cos. et ex s. c. pro salute e t r e d i t *u* *e*t victoria imp. Caesaris Domitiani Aug. Germanici collegium fratrum Arvalium convenit . . . .' Ex verbis 'isdem cos.' non liquet, qui fuerit annus, sed Henzenus l. c. argumentis certissimis confirmavit annum significari 89.

[4] Göttinger gelehrte Anzeigen 1869, pag. 1506. Cfr. etiam Kluegmanni 'Die neuen Arvalmonumente' in Philologi Tom. 28. pag. 487.

[5] Cfr. epigrr. VI. 2., 4., 7., 22., 45., 91.

[6] 'Iulia lex populis ex quo, Faustine, renata est
Atque intrare domos iussa Pudicitia est,
A u t m i n u s a u t c e r t e n o n p l u s t r i c e s i m a l u x e s t,
Et nubit decimo iam Telesilla viro.
Quae nubit totiens, non nubit: adultera lege est.
Offendor moecha simpliciore minus.'

[7] In qua re tractanda Stobbeus, quia commentationem (in Philologi Tom. 26. pag. 44. sq.) scripsit eo tempore, cum neque acta fratrum Arvalium ab Henzeno edita neque libellus a Gutschmidio conscriptus iuris publici erant, errat.

post triumphum de Dacis actum[1] i. e. post priores anni 89. menses. Atque Friedlaender[2] et Hirschfeldius[3] satis luculenter docuerunt carmina libri VI. exeunte anno 89. vel ineunte 90. composita esse. Legis Iuliae igitur restitutio in fine anni 89. ponenda erit (cfr. VI. 7.).

Sed hoc quoque addere velim Corneliam, Vestalium maximam, statim fere post Iuliae mortem[4] anno 89.[5] defossam esse.

Itaque haec comprobata sunt: intra paucorum mensium spatium Domitianus leges contra libidines olim latas renovavit, Corneliam defodit vivam, fratris filiam incesto occidit. Iam concedes Iuvenalem II. 29. sq. omnino nihil falsi referre neque rem in maius augere aut detorquere, sed omnia accurate temporibus suis constare.

Sat. X. 329. sq.

‚Elige, quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Caesaris uxor
Destinat. Optimus hic et formosissimus idem
Gentis patriciae rapitur miser exstinguendus
Messalinae oculis; dudum sedet illa parato
Flammeolo . . .'.

Messalina, de qua iam supra[6] diximus, femina illa omnibus libidinibus profusa, amore insano capta est C. Silii, iuvenis formosissimi. Cui, quamquam Claudius maritus vivebat, palam et cunctis caerimoniis nupsit. Etsi de his nuptiis, cum res ab auctori-

---

[1] Cfr. epigr. VI. 4. 1. sq.
‚Censor maxime principumque princeps,
Cum tot iam tibi debeat triumphos (sc. Roma), etc.'
Ib. 10. 6. sq.
‚Talis supplicibus tribuit diademata Dacis
Et Capitolinas itque reditque vias.'
Ib. 76. 5.
‚Grande iugum domita Dacus cervice recepit' . . .

[2] In praefatione ad Martialis epigr. pag. 57.

[3] Gött. gel. Anz. 1869, pag. 1507.

[4] Cfr. Plin. ep. VI. 11. 6.

[5] Cfr. Schoenei ‚Euseb. chron.' pag. 160. et de Mart. VI. 4. Strobbeus (in Philologi Tom. 26. pag. 61.).

[6] Cfr. pag. 8. sq.

bus tradita sit, dubitari non licet, tamen, quatenus Iuvenalis veritatem sequatur, explanare operae pretium videtur esse.

Atque Tacitum si sequimur, res ita se habet. Anno 47. Messalina exarsit in C. Silium, quem cum Iulia Silana uxore divortium facere iussit.[1] Quo facto postquam Silius, ne vitam amitteret — haud pauci enim amorem renuentes interfecti erant — adulterium in se admisit,[2] nullo obstante pudore Messalina rem quam maxime palam frequentabat[3]. Tamen Claudius princeps, ut erat animo hebeti, nihil horum sensit. Silius autem veritus videlicet, ne patefacta re opprimeretur a Claudio, iam de Claudio opprimendo cogitabat. Itaque nuptias palam celebrare et imperatorem praevenire Messalinae proposuit[4]. Quae paulisper cunctata assensa est. Principe igitur Ostiae absente nuptiae celebrabantur. Quod enim scholiasta temere ex Suetonio exscripsit, qui ne ipse quidem credit,[5] Claudium ipsum interfuisse testem, aperte falsum est. Nam tum non ultimus omnium Claudius rem audivisset.[6] Qui tandem certior factus Narcisso auctore Silium et Messalinam supplicio affecit.

Videamus nunc, usque quo narratio Iuvenalis congruat cum veritate. Atque primum rem ita narrat, quasi statim a primo amoris erga Silium sensu Messalina ei nubere constituisset, non tum demum, postquam per aliquod tempus adulterium commisisset; tum Messalinam nuptias flagitasse dicit, quamquam, ut vidimus,

---

[1] Cfr. Tac. ann. XI. 12. ‚Nam in Caium Silium, iuventutis Romanae pulcherrimum, ita exarserat, ut Iuniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret vacuoque adultero poteretur.'

[2] Cfr. ib. ‚Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat; sed certo, si abnueret, exitio et nonnulla fallendi spe, simul magnis praemiis, operire futura et praesentibus frui pro solacio habebat.'

[3] Cfr. ib. ‚Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, largiri opes honores. Postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud adulterum visebantur.'

[4] Cfr. Tac. ann. XI. 26.

[5] Cfr. Suet. vit. Claud. 29. ‚Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit, inductus, quasi de industria simularentur ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere sibi per quaedam ostenta portenderetur.'

[6] Cfr. Tac. ann. XI. 30., D. Cass. 60. 31.

Silius auctor fuit. At non praetermittendum videtur mihi esse Tacitum magis de adipiscendo imperio, Iuvenalem de nuptiis agere. Etenim de pervertendo Claudio Messalina paulisper dubitavit, de matrimonio non dubitavit, immo nomen eius concupivit et ipsa caerimonias celebravit.[1] Iam vero prius quam Silium eam cogitasse de nuptiis ex Taciti verbis colligi potest.[2] Itaque Tacitus et Iuvenalis non ita discrepant, ut contraria dicant, sed Tacitus accurate totam rem, Iuvenalis unam rei partem per se veram narrat. Poeta scilicet non est rerum scriptor, qui omnia singula refert, quemadmodum singulis temporibus facta sint. Rem in unum contrahit poeta et adulterium illud primum palam peractum miscet cum nuptiis. Ita non a veritate discedit, quod Messalinam nuptias molitam esse dicit. Nam illa totius rei, ut ita dicam, origo fuit. Illa enim Silium corrupit; et quod hic necessitate et periculo coactus fecit, huius culpa cadit in Messalinam. Quare Dio quoque, qui rem multo brevius narrat, quam Tacitus, Messalinam nuptiarum principem fuisse suo iure tradit.[3] Videtur autem duplex fama fuisse; alteram sequitur Tacitus, alteram Iuvenalis et Dio. Exemplum simillimum habes Tac. ann. XIV. 2.

Porro de ipsis caerimoniis Iuvenalis refert vera. Tacitus paene eisdem verbis utitur non praetermittens addere omnia ad verba esse credenda quamquam fide maiora.[4]

---

[1] Cfr. Tac. ann. XI. 26. ‚Segniter eae voces acceptae, non amore in maritum, sed ne Silius summa adeptus sperneret adulteram scelusque inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret. N o m e n t a m e n m a t r i m o n i i c o n c u p i v i t ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. Nec ultra exspectato, quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum sollemnia cele b r a t.'

[2] Cfr. ib. ‚. . . cum abrumpi dissimulationem e t i a m Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedia ipsa pericula ratus, urgebat.'

[3] Cfr. D. Cass. 60. 31. ‚*Τόν τε γὰρ Σίλιον τὸν Γάϊον, τὸν τοῦ Σιλίου τοῦ ὑπὸ Τιβερίου σφαγέντος υἱόν, ἄνδρα ἐγράψατο, καὶ τούς τε γάμους πολυτελῶς εἱστίασε καὶ οἰκίαν αὐτῷ βασιλικὴν ἐχαρίσατο . . .*'

[4] Cfr. Tac. ann. XI. 27. ‚Haud sum ignarus fabulosum visum iri tantum ullis mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis, praedicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse, atque illam audisse auspicum verba, subisse flammeum, sacrificasse apud deos, dis-

In Silio poeta ipsa historia mitior est, quem, quo dirior nobis esse videatur femina illa lasciva, virum fuisse tradit maioris pretii, quam revera fuit.

Habes exempla, quae ad cognoscendam Iuvenalis rationem narrandi examinavi. Atque nihil eum fingere, quod iam initio huius commentationis statuimus, his quoque exemplis comprobatur. Sed quod in omnes eos cadit, qui solo vel laudandi vel vituperandi studio ducuntur, ut verbis utantur, quibus virtus aut nequitia quam gravissime exprimatur, hac re cum omnino saturarum scriptores non vacant[1] tum Iuvenalis laborat. Interdum rei, quam narrat, tradit caput: leviora praetermittit, causas affert primas, effectus extremos, media neglegens. Flagitia denique uni quidem imputat, ita tamen, ut ceteri haud meliores esse videantur; nec laudibus abstinet iniquis alterius, quo peior appareat alter. Omnibus his rebus autem veritas quasi Cois velatur, non lacerna obtegitur.[2]

Restat, ut paucis explanemus, qua cum fide Iuvenalis res per se veras, sed quas ipse non vidit, depingat et ex opinione sua describat, velutsi ipse adfuisset spectator ac testis. Hoc enim identidem facit; sed haec res, praeterquam quod tales descriptiones primo statim obtutu cognoscuntur, eo minus habet fallaciarum, quod nunquam ultra progreditur, quam ut veri videamus similia. Atque exemplum nescio an ad deliberandum non exstet magis idoneum, quam versus illi saturae X., quibus civium post Seianum oppressum sollicitudines describuntur.

---

cubitum inter convivas; oscula, amplexus; noctem denique actam licentia coniugali. Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.'

[1] Recte Widalius ('Juvénal et ses satires' pag. 44.): 'Ces exagérations de paroles et de couleur ne sont pas toujours l'effet des vieilles habitudes de l'école; elles appartiennent, on ne l'a pas assez remarqué, croyons-nous, à la satire même. Aussi bien que le théâtre, la satire, si je puis ainsi parler, a ses lois de perspective, partant ses priviléges, ses nécessités.'

[2] Cfr. ib. 'Affaiblissez par la pensée quelques éclats de sa voix, adoucissez dans certains de ses tableaux quelques couleurs trop chargées, et pour le fond des choses vous serez constamment dans le vrai.'

Sat. X. 85. sq.

‚Curramus praecipites et
Dum iacet in ripa, calcemus Caesaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget et pavidum in ius
Cervice obstricta dominum trahat'.

Talia fuisse revera civium verba nemo sanus credit; hoc unum quaeritur, utrum, cur ita loquerentur cives habuerint et eiusmodi verba eos dixisse vel cogitasse verisimile sit, an his verbis falsa temporum illorum oriatur imago. Atque quin hoc loco Tiberius acerbe notetur, dubitari nequit, quamquam Freytagius negat.[1] ‚Turba Remi' poetae ludibrio est, sed Tiberio minime parcit. Atque versibus illis mea sententia haec vituperantur: primum dicendi faciendique sub Tiberio libertas nimis coercita, tum pericula dominis ab ipsis servis imminentia. Libertas autem opprimebatur et delatorum machinationibus et ipsius principis asperitate.

Iam spectemus id ipsum tempus, de quo agit Iuvenalis. Atque Seiani proditione detecta, si Tacitum et Dionem auctores sequimur, periculosissimum erat illius viri amicum esse vel videri. Nam et Tiberius[2] et senatus[3] et vulgus,[4] alius alia de causa, in Seiani familiares animadvertebant. Nec deerant, qui palam pestiferam illam amicitiam dissimularent simularentque odium.[5]

---

[1] Cfr. Freytagii ‚Tiberius und Tacitus' pag. 345. sq. ‚Aus diesen Aeusserungen unsers Dichters könnten die prinzipiellen Verdächtiger des Tiberius möglicher Weise Kapital gegen ihn zu schlagen versuchen . . . . . Wie die dem Kaiser nicht direkt verfeindeten Zeitgenossen so hat auch der Dichter gefühlt, dass der Kaiser nur zu bedauern war. Ueberhaupt giesst Iuvenal seinen nur zu berechtigten Zorn ausschliesslich über das feile römische Volk aus.'

[2] Cfr. Tac. ann. VI. 19. ‚Inritatusque suppliciis (sc. Tiberius) cunctos, qui carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet. Iacuitque immensa strages, omnis sexus, omnis aetas, illustres ignobiles, dispersi aut aggerati.'

[3] Cfr. Stahrii ‚Tiberius' pag. 237.

[4] Cfr. D. Cass. 58. 12. ‚Ὅ τε γὰρ δῆμος εἴ πού τινα τῶν μέγα παρὰ τῷ Σηιανῷ δυνηθέντων καὶ δι' αὐτὸν ὑβρισάντων τι εἶδεν, ἐφόνευεν.'

[5] Cfr. D. Cass. 58. 10. ‚Ἄλλοι τὴν φιλίαν τὴν πρὸς αὐτὸν ἐπηλυγαζόμενοι . . . . καί τινες καὶ ἐξανέστησαν τῶν συγκαθημένων αὐτῷ' (sc. cum epistola Tiberii recitaretur); ib. 14. ‚Ἐμήνυον δὲ δὴ ταῦτα ἄλλοι τε καὶ αὐτοὶ οἱ μάλιστα τὸν Σηιανὸν θεραπεύοντες.'

Ceterum illi ipsi, qui Tiberium omni studio defendunt, maximam tum eius fuisse severitatem concedunt.[1]

Itaque poeta suo iure cives inter se adhortantes facit, ut corpus Seiani a vulgo per triduum vexatum[2] calcent odioque simulato tutos se reddant.

Iam dicendum est de periculo dominis imminente a servis. Atque quin servi dominos accusantes auditi sint Tiberio imperante, dubium esse non potest. In universum hoc servis non licebat, sed crimen maiestatis semper fere exceptum erat.[3] Singuli imperatores de hac re singula decreverunt: Caligula servis omnes permisit, Nerva omnes ademit accusationes.[4] Certe sub Tiberio crimen maiestatis, de quo apud Iuvenalem sermo est, servis patebat. Quare civium timor a poeta depictus non vanus est.

Sine dubio autem Iuvenali etiam servorum in domini caput quaestio ante oculos versabatur. Itaque quaeritur, utrum hoc imperatori iure opprobrio vertatur necne. Atque Tiberii, ut ita dicam, patroni Karstenus, Freytagius, Stahrius negant praecipue ea de causa, quod Augustus quoque de servis quaestionem in dominos instituerit.[5] Augustus hoc fecit, sed, id quod nobis fortasse non multum differre videtur, apud Romanos autem rituum tena-

---

[1] Cfr. Merivalei ‚History of the Romans under the Empire' Tom. V. pag. 372. ‚wide and sanguinary proscription' et ‚bloodshed in which Tiberius songht to drown his apprehensions.'

[2] Cfr. D. Cass. 58. 11. ‚*καὶ αὐτὸν ὁ ὅμιλος τρισὶν ὅλαις ἡμέραις ἐλυμήνατο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλεν.*'

[3] Cfr. Cod. Theod. 9. 5. 1. ‚Accusare servo dominum vel liberto patronum seu familiari non licet praeter crimen maiestatis.'

[4] De Caligula cfr. Suid. s. v. ‚*Γάϊος*': ‚*Δουλοκρατίαν νομοθετήσας ἐπέτρεψε κατηγορεῖν τῶν δεσποτῶν, εἴ τι ἂν εἰδεῖεν αὐτοῖς πλημμέλημα.*' Est autem sermo de Caligula.

De Nerva cfr. D. Cass. 68. 1. ‚*Τοὺς δὲ δούλους καὶ τοὺς ἐξελευθέρους τοὺς τοῖς δεσπόταις σφῶν ἐπιβουλεύσαντας πάντας ἀπέκτεινεν.*' Cfr. etiam quae in Haenelii libro ‚Corpus legum' ad singulos imperatores de ea re leguntur.

[5] Cfr. D. Cass. 55. 5. ‚*Ὅτι δ' οὐκ ἐξὸν ὂν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν, ὁσάκις ἂν χρεία τοιούτου τινὸς γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ὡς ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξητάζεται, οἱ μὲν ᾐτιῶντο, ὅτι ὁ νόμος τῇ τοῦ δεσπότου μεταλλαγῇ καταλύεσθαι ἔμελλεν, οἱ δ' ἀναγκαῖον αὐτὸ ἔφασκον εἶναι, ὅτι πολλοὶ διὰ τοῦτο καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐκείνῳ καὶ ἐπὶ ταῖς ἀρχαῖς συνίσταντο.*'

cissimos magni momenti erat, antea servos vel publice vel de suo emit, ut revera non de reorum servis quaestio fieret. Tiberius hanc rationem neglegens servos actori publico tradidit et id, quod huc usque per exceptionem factum erat, legitime fieri iussit.[1] Quae res, praesertim cum iam Augusti ratio haud omnibus placuisset,[2] odium movit.[3]

Iuvenalis igitur de Tiberio idem, quod omnes aequales, iudicium facit nec de suo imperatori illi imputat vitia. Civium vero sollicitudines, quamvis ex ingenio depictae, minime alienae sunt ab illis, de quibus agitur, temporibus, ita ut descriptione imago iusta oriatur.

Quamquam ad cognoscendam Iuvenalis auctoritatem haud ita multa exempla examinavi, si quidem, quot et quam varias res poeta tractet, consideramus, tamen paucitatem aliquomodo compensari confido ea re, quod quantum potui locos elegi maxime idoneos et quod multis aliis locis fidei ambiguis simile iudicium adhibendum videtur esse atque eis, quos ad certum finem perduximus. Atque hos fere fructus percepimus.

Res, quas semel et a certis hominibus commissas esse narrat Iuvenalis, utique credendae sunt. Neque enim, ut vidimus, aut lasciviae aut ioci aut ponderis causa scelera fingit; gravissimaque facinorum exempla certis argumentis vera esse comprobari possunt. Rumores tradit rarissime.

Temporum, quae describuntur, effigiem omnibus partibus iustam et veram, cum et pessima semper ducatur opinione et verborum orationisque pompam artibus rhetoricis sectetur, non adumbrat. Nec vero ita his vitiis laborat, ut res ipsas detorqueat, id quod multis locis viri docti sine iustis causis iniuria statuerunt; sed verborum, quibus utitur gravissimis, si adimis gravitatem colorumque, quos amat pinguissimos, vim, res ipsas habes veras. Denique ubi veterum rerum memoriam ex ingenio suo depingit, ultra veritatis speciem non progreditur.

Harum rerum si in interpretando Iuvenale memores sumus, ex decem praecipue prioribus saturis ad investigandos illius temporis mores multum veri tamquam ex fonte iugis aquae haurire possumus.

---

[1] Cfr. Tac. ann. II. 30., III. 67.

[2] Cfr. D. Cass. 55. 5.

[3] Cfr. Tac. ann. II. 30. „callidus et novi iuris repertor".

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR

QUAESTIONES IUVENALIANAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XVII. MENSIS IULII A. MDCCCLXXXIX.

HORA XI.

IN PUBLICO DEFENDET

LAURENTIUS NIESSEN

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

AUGUSTUS PREISING, CAND. PHIL.
PETRUS SCHNEIDER, CAND. PHIL.
IOHANNES BOEDEKER, CAND. PHIL.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXIX.

THESES.

---

1. Iuvenalis sat. VIII. v. 40. servanda videtur esse lectio ‘Blande’, certe falsa est coniectura ‘Plaute’.
2. Horatii epist. I. 11. 5. pro ‘an’ legendum propono ‘ac’.
3. Aristophanis ‘ἱππῆς’ v. 174. Mueller-Struebingius iniuria servatam esse vult codd. scripturam ‘Καρχηδόνα’.
4. Versus 96. hymni in Apollinem Delium subditicius est.
5. Quintilianus, qui commemoratur Plinii ep. VI. 32., non est clarus ille rhetor.
6. Septingenta milia, quae Marius Priscus a. 100. in aerarium solvit, non sunt poena repetundarum.
7. Hirschfeldio, qui Martialis epigr. VI. 13. spectare ad vivam Iuliam putat, non assentior.

VITA.

Natus sum Laurentius Niessen a. h. s. LXIV. a. d. XVII. Kal. Apr. Bruehlii, in oppido prope Coloniam Agrippinensem sito, patre Antonio, quem defunctum lugeo, matre Elisabeth de gente Bisdorf. Fidem profiteor catholicam. Patriae, postquam primis litterarum elementis imbutus sum, scholam latinam adii, primam autem classem per biennium frequentavi in gymnasio Monasteriensi. Maturitatis testimonio instructus hanc almam litterarum sedem Monasteriensem vere a. h. s. LXXXIV. petii, ubi per bis senos menses theologiae, per septies senos menses studiis philologicis operam dedi. Scholis interfui VV. DD. Diekamp p. m., Hagemann, Hueffer, Iostes, Langen, Niehues, Stahl, Storck. Seminarii regii philologici sodalis ordinarius fui per quater senos menses.

Omnibus his, qui me docuerunt, viris doctissimis gratias habeo maximas.